JANSENISMI HISTORIA BREVIS,

Cum adjuncta ſolutione plurimarum Difficultatum in nova *Panegyri Janſeniana*, aliiſque hujuſmodi Scriptis adverſus Apoſtolica Decreta propoſitarum.

AUTHORE L. C. D. *Sac. Theol. Licentiato, Eccl. M. M. Canonico.*

Diligite homines, interficite errores. *S. Aug.*



LOVANII,
Apud ÆGIDIUM DENIQUE 1700.

Cum Approbationibus.



PRÆFATIO.



Istoriâ Baianismi editâ, cœperunt illicò Viri quidam mihi plurimùm honorandi similem Historiam Jansenismi postulare. Sed, præter plurima quæ ab hac suscipienda deterrebant, non apparebat operæ pretium, utpote cum prætensi Jansenistæ jam sæpius apertè declarassent se propositiones 5. famosas damnare in omni illo sensu in quo per Constitutiones Innocentii X. *& Alexandri* VII. *damnatæ sunt; imo se paratos esse Formulæ Alexandrinæ subscribere, dum legitimè requirerentur: seque præte-*

rea planè cupere ut Innocentii XII. *Brevia ad amussim observarentur. Accedebat quod Theologi Belgæ quorum causam agit Doctor Hennebel in Urbe, luci darent nuperam suam* Confutationem Libelli Hispanicè editi hoc titulo, Memorial al Rey &c. *in qua* §. 3. *scribunt sequentia.*" *Orbi & Urbi no-„tum est neminem in Academia „Lovaniensi ad gradus admitti „qui non prius juret se Constitu-„tiones Pii* V. *Gregorii* XIII. *& „Urbani* VIII. *recipere, & pro-„positiones quæ in iis damnantur, „damnare.*" *Addunt quod Facultas Theologica, conscio & laudante Alexandro* VII. *decreverit ut gradum aliquem suscepturis præscriberetur hæc Formula:* " *Ju-„rabis te quinque articulos per „Constitutiones SS. Pontificum In-„nocentii* X. *& Alexandri* VII. *„damnatos damnare; iisdemque „Constitutionibus religiosam ob-„servantiam præstare.*" *Addunt* quo-

quoque quod hoc Juramentum in hodiernum usque diem vigeat. §. 5. dicunt de sensu Jansenii servare se silentium in Brevi Apostolico indictum, atque interim juxta idem Breve, quinque propositiones in sensu obvio damnare. Quod attinet ad propositiones triginta & unam, damnatas ab Alexandro VIII. *nemo est in Belgio, inquiunt, qui illas post condemnationem defendat. Et §. 6. dicunt esse calumniam quod Alexandri* VIII. *Decretum ab ipsis repudietur. Deinde sic aiunt ibidem: " Adversarii hactenus rigorem nullum aut novitatem à Sede Apostolica condemnatam designare potuerunt, quam non profiteamur nos palam condemnare: aut si id nondum fateantur, nunc saltem rigorem aut novitatem talem proferant, & mox condemnabimus." Denique §. 7. sic scribunt. " Declaravimus jam pridem & palam professi sumus nos doctrinæ Patrum Domini-*

„*canorum & Discalceatorum de*
„*prædestinatione & gratia Christi*
„*subscribere.....Et, ne dicat Pa-*
„*ter P. subscribere nos doctrinæ*
„*Thomistarum prout illam nos*
„*sensu nostro explicamus, declara-*
„*vit non ita pridem Doctor Hen-*
„*nebel, tam suo quàm Theologo-*
„*rum quorum in Urbe partes a-*
„*git, nomine, subscribere se illi,*
„*etiam prout explicatur ab ipso*
„*R.P. Thyrso Gonzales, tom. 4.*
„*select. disp. p. 304. disp. 4. de sta-*
„*tu naturæ puræ §. 69. ubi eam*
„*his articulis comprehendit.* 1.
„*Patres Dominicani gratiam ef-*
„*ficacem ponunt in Prædetermi-*
„*natione Physica essentialiter con-*
„*nexa cum consensu.* 2. *Dicti Pa-*
„*tres expressè asserunt cum hac*
„*gratia componi quod voluntas*
„*maneat liberâ libertate indiffe-*
„*rentiæ ad oppositum.* 3. *Dicunt*
„*quoque voluntatem simul cum*
„*prædeterminatione ad actum sa-*
„*lutarem habere proximam poten-*
„*tiam*

„tiam ad oppoſitum. 4. Si ex ſua „gratia phyſicè prædeterminante „judicarent ſequi everſionem li„bertatis indifferentiæ, eam om„ninò negarent. Has Thomiſtarum „concluſiones eſſe Catholicas & „ſanas dicit R. P. Gonzalez. Sub„ſcripſit autem illis Doctor Hen„nebel hiſce verbis. Ego infra„ſcriptus declaro hanc ipſam eſſe „ſententiam Theologorum quorum „partes ago. Si quis de eorum aut „ſaltem alicujus ex illis ſenſu du„bitet, eum nominare dignetur, „meumque erit intra trimeſtre fi„dem facere per propriam illius „ſubſcriptionem, quod hanc meam „declarationem nomine ſuo fa„ctam, habeat ratam, ac gratam." Hactenus illi.

Et hæc quidem ſpem afferebant pacis brevì ſecuturæ, adeo ut ſupervacaneum videretur hac de re quidquam ulterius ſcribere. Sed aliud omnino portendere viſa ſunt opuſcula quædam cum præfixo Panegy-

negyreos Jansenianæ *titulo, sub finem anni præcedentis impressa, & in Belgium nostrum Hispanicum aliunde illata, mihique non pridem communicata; in quibus adversus Apostolica Decreta Librum doctrinamque Jansenii concernentia, novæ veteresque proponuntur objectiones; nempe sequentes:*

1. *Decretum libri Janseniani prohibitorium,* 1. *Aug.* 1641. *datum, est subreptitium, cum anteriora Decreta quibus nititur, videlicet anni* 1611. & 1625. *non fuerint usu recepta, neque legitimè promulgata.*

2. *Nomen Jansenii in Urbani* VIII. *Bullam irrepsit, inscia imo nolente Sua Sanctitate.*

3. *Adulterata est eadem Bulla per appositionem commatis seu virgulæ.*

4. *Malè dicitur in illa, quod in libro Jansenii contineantur & defendantur propositiones à Pio* V. *dam-*

damnatæ: cum econtra liber ille, si diligenter examinetur, mera S. Augustini sensa continere deprehendatur.

5. *Causæ Propositionum 5. famosarum præfectus fuit Albizius, à Doctoribus Augustinianis multùm abalienatus, Jesuitisque prorsus addictus: & ipso procurante, inter tredecim Consultores non pauci fuere Molinistæ, imo unus Jesuita: remotis à Congregatione nonnullis aliis, quibus de jure competebat interesse.*

6. *Neque partes coram se mutuò auditæ, neque scripturæ communicatæ fuerunt: quorum tamen neutrum, juxta juris præscriptum, Ecclesiæque consuetudinem, omitti potuit; saltem pluribus Episcopis utrumque vehementer urgentibus ob materiæ gravitatem subreptionisque periculum, quod suberat dum seculi Potestates contra Jansenium conspirarent, dumque Romæ calumniis plurimis one-*

rarentur ejus prætensi Defensores.

7. *Liquet è testimoniis Commissarii S. Officii, & Lucæ Waddingi, quin & Cardinalium Spada & Cechini, quod non fuerit authoritate Apostolica examinatum an 5. propositiones in libro Jansenii reperirentur, nec ne.*

8. *Est moraliter impossibile librum Jansenii per 60. circiter viros religione & eruditione præstantes, locoque, studiis, professione & commodis ita dissimiles approbatum, summeque laudatum, continere quinas hæreses, sive 5. famosos articulos.*

9. *In Decretis Apostolicis causam Jansenianam concernentibus debuisset apponi distinctio inter jus & factum, aut permitti debuisset ut illa Decreta cum tali distinctione reciperentur & subscriberentur, saltem à Monialibus, præsertim cum factum Jansenii foret controversum, cumque Baronius,*

Bellarminus, aliique S. Sedi plurimum addicti, distinctionem istam adhibeant in aliis similibus causis.

10. *In æternum disputabitur quis sit sensus obvius quinque propositionum, sicuti quis sit sensus à Iansenio intentus: & ideo adhuc nunc omnino desideratur ut clarè & distinctè explicetur sensus damnatus istarum propositionum; sicuti adhuc desideratur examen legitimum libri Iansenii.*

Igitur hæ sunt objectiones quæ in Panegyri Janseniana *speciosè proponuntur, & quæ, non obstante Romana hujus libri prohibitione, non paucos circumvenire vel saltem conturbare perhibentur. Illarum autem pleræque ex Santamoreo Doctore Sorbonico desumptæ sunt, quamvis ejus authoritas parvi momenti sit in ejusmodi narrationibus; non modò quia Scriptor ille in suo Diario, à S. Sede prohibito, multa narrat ex incerto relatu vel auditu, verùm etiam quia*

ejus teſtimonium cauſæ Janſenianæ favens, vel quibuſdam Sedis Apoſtolicæ Proceribus, aut PP. Jeſuitis vel aliis ſimilibus adverſans, jure merito ſuſpectum habetur, uti conſtabit tum ex hiſtoria, tum ex ſequentibus quæ in eadem hiſtoria prætermittuntur. Siquidem Diarii parte 2. *c.* 2. *obloquitur prohibitioni Romanæ* Catechiſmi de Gratia: *& pariter* Officii D. Virginis, *Gallicè, p.* 3. *c.* 5. *Deinde p.* 2. *c.* 11. *dicit quod inter centum circiter Jeſuitarum uti Martyrum effigies Romæ Superiorum permiſſu venales, extaret una in qua ſic erat ſcriptum:* Pater Henricus Garnettus Anglus Londini pro fide Catholica ſuſpenſus & ſectus 3. Maii 1606. *& quod nemo ignoret ipſum extremo ſupplicio affectum fuiſſe ob conjurationem pulverariam, de qua accuſatus & convictus fuerit, & cujus ſe reum agnoverit jam moriturus, in tantum, ut facti ſui pœnitens (cum ipſi*

ipsi exprobraretur quod per illud existimasset ad gloriam Martyrii pervenire) responderit, numquam auditum fuit parricidam esse Martyrem. *Hac Santamoreus, qui inde occasionem accipit Romanos Censores accusandi. Sed quod affirmat neminem ignorare, non tantùm ignoravit Bellarminus, sed falsum esse constanter asseveravit, in Responsione ad Apologiam pro juramento fidelitatis, ita scribens: "Constat Henricum (Garnettum Jesuitarum Præpositum Provincialem) in publico judicio, Rege ipso spectante, qui si vellet, testis etiam esse posset, longissimo tempore examinatum, constanter semper dixisse, neque se neque ullum Jesuitam hujus conspirationis auctorem, vel complicem, vel consultorem, vel consentientem ullo modo fuisse.... Quod autem Henricus Garnettus in judicio sæpe dixerat, id ipsum instante morte, coram innume-*

„*merabili populo longâ oratione* „*protestatus est.*" *Et cap.* 13. *Apologiæ pro dicta Responsione, sic iterum contra Iacobum Angliæ Regem scribit dictus Cardinalis.* "*Quod Garnettus non solum in ju-* „*dicio, sed etiam in ipso theatro* „*jam jam moriturus apertè pro-* „*nuntiaverit, se proditionis illius* „*conscium non fuisse, nisi in con-* „*fessione Sacramentali; testes mul-* „*ti sunt, sed unus præcipuè vir* „*gravis, non Sacerdos, non Ie-* „*suita, non Seminarii alumnus,* „*qui in ipso theatro prope ipsum* „*Garnettum cum esset, ex ore e-* „*jusdem Garnetti id se accepisse* „*mihi sanctè affirmavit: quod ego* „*facilè credidi, qui multorum an-* „*norum Garnetti consuetudine u-* „*sus, optimè novi summam illius* „*viri probitatem & innocentiam* „*cum summa ingenii & omnis ge-* „*neris eruditione conjunctam.*" *Hactenus Bellarminus. Deinde præfatus Santamoreus p.* 6. *c.* 10.
scri-

ſcribere non veretur quod Summus Pontifex in cauſa quinque propoſitionum omnem planè formam & media maximè neceſſaria neglexerit, ſupponens Divinam inſpirationem omnia ſuppleturam. Denique p. 2. c. 12. refert ſe S. Officio fuiſſe delatum uti Ianſeniſtam, & parum abfuiſſe quin ibi decerneretur, ipſum in carceres S. Inquiſitionis eſſe conjiciendum: ſeque ſimilem incarcerationem adhuc poſtea non ſemel timuiſſe, narrat ibidem c. 14. & p. 3. c. 2. & 3. tametſi jam plurium Epiſcoporum foret legatus. Quocirca patet quam meritò parvi fiat ejus teſtimonium in iis quæ cauſæ Ianſenianæ favere videntur. Sed non ita rejici poteſt ab illis qui cauſæ iſti nonnihil addicti ſunt: & eapropter in hoc Opuſculo laboratum eſt ut pleraque dicendorum ipsâ ejus relatione ſtabilirentur. Cæterùm rectenè, an ſecus, judicet æquus Lector: remque ipſam, id eſt veritatem & utili-

tilitatem, non ornamenta dicendi; quærat. Sed & imprimis hæc omnia S. Sedi submissa sunto, cujus Decretis prorsus adhærere statutum est; consequenter etiam illis quæ silentium indicunt, tam super materia de Auxiliis, quam super Formularii interpretatione, sicut & 5. propositionum, in alios sensus præter eum quem ipsa verba præcisè exhibent: ne alias, dum paci inter quosdam Theologos per Decretorum Apostolicorum observantiam redintegrandæ studeo, ipsemet, quod absit, eorundem transgressor inveniar. Et utinam ab unoquoque religiosè observarentur, & observata fuissent! Etiam illud quod concernit silentium in materia de Auxiliis; & cui rursum inhæsit Sua Sanctitas in Brevi ad Facultatem Theol. Lovan. dato 6. Feb. 1694. tunc enim profectò non tot orta forent & orirentur dissidia, dum alii doctrinam de Gratia per se efficaci & de Prædestinatione

ante

ante prævisa merita, fidei esse contendunt (quamvis eadem Sua Sanctitas ibidem doctrinam istam non obscurè collocet in earum numero, de quibus S. Cælestinus ad Episcopos Galliæ rescripsit; "profundiores difficilioresque partes incurrentium in materia Divinæ Gratiæ quæstionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.") Alii econtra sensum à Iansenio intentum, in quo damnatæ sunt 5. propositiones, sic interdum intelligunt ut doctrinam de Gratia per se efficaci damnatam esse velint. Similiter alii sententiam de referendis actibus in Deum, velut illa per Lovanienses Theologos exhibita fuit Innocentio XI. *proscriptam docent. Alii econtra sententiam quæ quosdam actus deliberatos moraliter tantùm bonos admittit (& quæ fuit Facultatis Theologicæ Lovaniensis*

in formula doctrinæ sub finem anni 1585. *Apostolico Nuntio tradita) vel adstipulari Pelagio, vel saltem evidenter Augustino contrariari decidunt. Alii Pelagianismi accusant sententiam tenentem dari quosdam homines propriâ suâ culpâ sic excæcatos & obduratos ut interdum careant gratiâ ad observandum præceptum quod hic & nunc ipsos obligat, & quod consequenter non est ipsis impossibile, necessariâ. Alii econtra hanc notâ afficiunt: "Auxilium „sufficiens ac necessarium ad vi„tanda peccata, omnibus homini„bus & omni tempore vel imme„diatè vel mediatè à Divina be„nignitate præstatur." Quæ certe omnia, aliaque ejusmodi, perturbationem afferunt, & omnino repugnare videntur Innocentii* XI. *Decreto de* 2. *Martii* 1679. *quod sic sonat: "Tandem ut ab injurio„sis contentionibus Doctores seu „Scholastici, aut alii quicumque „im-*

„impoſterum ſe abſtineant, & ut „paci & charitati conſulatur. idem „Sanctiſſimus in virtute ſanctæ „obedientiæ eis præcipit, ut tam „in libris imprimendis, ac ma„nuſcriptis, quam in Theſibus, „Diſputationibus, & Prædica„tionibus caveant ab omni cenſu„ra & nota; nec non à quibuſcum„que conviciis contra eas propo„ſitiones, quæ adhuc inter Catho„licos hinc inde controvertuntur, „donec à S. Sede recognitæ ſuper „iis propoſitionibus judicium pro„feratur."

His itaque præmiſſis & conſideratis, cum adjutorio Dei Superiorumque licentiâ narrationem aggredior: cui reſponſio ad quatuor primas objectiones interſeretur: ſex verò reliquæ ſeorſim examinabuntur.

APPROBATIO

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini D. HUMBERTI GUILIELMI A PRÆCIPIANO, *Archiepiscopi Mechliniensis, Belgii Primatis &c.*

L*Ibellus hic, cui titulus:* Jansenismi Historia brevis &c. Authore L. C. D. S. T. L. Eccl. M. M. Canonico, *non minus eruditè quam modestè conscriptus, utiliter publicam lucem videbit, hoc imprimis tempore quo passim obtruduntur libri quibus vilipenditur Romanorum Pontificum & Ecclesiasticarum sanctionum authoritas, quam Eruditissimus Author ab iniquis obtrectationibus ita vindicat, ut eâdem operâ solidè confirmet. Datum Bruxellis die* 10. *Octobris anno Domini* 1699.

H. G. ARCHIEPISCOPUS
Mechliniensis

Locus ✝ Sigilli.

De Mandato Illust. ac Rev. Domini
Archiepiscopi Mechliniensis
JAC. OTTAERT Secret.

A P-

D*Ecet ingenuos Ecclesiæ filios exactissima istius Moniti Apostolici* 1. *Corinth.* 1. *observatio*: Ut idipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia. *Quam id enixè & ardenter desideret Apostolus, testatur, dum eodem loco immediatè, quasi obtestando, præmittit*: Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi. *In optandum istud & salutare* Idipsum *si quotquot sunt Eruditi, quotquot in Ecclesiæ gremio inerudit amore pacis & charitatis conspirarent, illico cessarent schismata, contentiones & jurgia, quæ Ecclesiam multis jam retro annis in partes discerpunt, & fœdè dilacerant. Cùm verò Eruditissimus ac Modestissimus hujus* Historiæ Brevis *Author in eo totus sit, ut pacem omnibus, & unanimem* in eodem sensu & in eadem sententia *circa Constitutiones Apostolicas inspiret amorem, reverentiam & observantiam, nihilque producat, quod sanæ fidei aut bonis moribus adversetur, valde utiliter hæc lucubratio imprimetur. Datum Mechliniæ Vigilia omnium Sanctorum anni* 1699.

J. DE CUYPER S.T.L.
Metropolitanæ Mech Canonicus Graduatus & Decanus Lib. Censf.

Idem censeo.

J. LAÇMAN S. Th. Doctor Metropol. Mech. Canonicus & Archidiaconus, Præses Seminarii Archiepiscopalis, Lib. Cens.

Tenebrosas nebulas, quas Panegyris Janseniana nuper edita, Lectori in causa Janseniana minus perspicaci offundere nata erat, Brevis hæc Jansenismi Historia ex ipso L. Santamoreo (cujus relatione Panegyris præcipuè nitebatur) ut plurimum deprompta, instar clarissimæ lucis facilè dispellet, simulque indiscretum timorem perjurii circa Formularium Alexandri VII. *absque distinctione juris & facti, è juniorum præsertim Theologorum animis, quibus debitus obedientiæ & submissionis erga Summum Christi in terris Vicarium sensus inest, nullo negotio evellet. Quare illam prælo dignissimam judico. Datum Mechliniæ* 10. *Sept.* 1699.

F. THOMAS DU JARDIN S. T. Doctor, & Prior FF. Prædicatorum Mechliniæ.

JANSENISMI HISTORIA BREVIS.

I. "  Aulus Papa V. (utì refert Urbanus VIII. in sua Bulla *In eminenti*) ad tollenda scandala & dissensiones quæ in Ecclesia Catholica oriebantur occasione editionis librorum & Operum de Auxiliis tractantium, in Generali Congregatione S. Romanæ & Universalis Inquisitionis sub die 1. Dec. anni Dñi 1611. coram ipso habita decrevit ut scriberetur Nuntiis Apostolicis, quòd notificarent & ordinarent Superioribus Religiosorum & Universitatibus Studiorum & Ordinariis eorum Nuntiaturæ, ne sinerent imprimi in materia de Auxiliis, etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo; & qui vellent de hac materia scribere & imprimere, priùs mitterent Tractatus & Compositiones ad dictam S. Univer-

„ salem Inquisitionem ; & in executio-
„ nem mentis dicti Pauli Prædecessoris,
„ ejusdem Decreti tenor omnibus præ-
„ dictis per Nuntios respectivè fuit legi-
„ timè intimatus. Successivèque ne con-
„ tra prædictum Decretum aliquid at-
„ tentari contingeret, sed scandala &
„ dissensiones omnino cessarent: Nos
„ in alia Generali Congregatione dictæ
„ S. Romanæ & Universalis Inquisitio-
„ nis feriâ 5. die 22, Maii anno Dñi 1625.
„ per aliud Decretum nostrum, ipsum
„ Pauli Prædecessoris Decretum confir-
„ mavimus & innovavimus, ac omnibus
„ & singulis... ne in posterum auderent
„ imprimere vel quoquo modo in lucem
„ edere Libros, Tractatus vel Compo-
„ sitiones... de materia Auxiliorum Di-
„ vinorum tractantes, sine expressa &
„ speciali licentia à Nobis in Congrega-
„ tione S. Officii prædicta, obtinendâ,
„ donec aliud in hac materia à Sede A-
„ postolica foret ordinatum, districtè
„ præcepimus & mandavimus: & ut
„ hujusmodi nostrum Decretum invio-
„ labiliter observetur, voluimus & decla-
„ ravimus contravenientes, pœnas pri-
„ vationis degnitatum & officiorum....
„ incurrere.... librosque quos ex tunc
dein-

„ deinceps contra dicti noſtri Decreti
„ tenorem edi contingeret, abſque alia
„ declaratione tanquam expreſsè prohi-
„ bitos haberi, & Impreſſores, præter
„ amiſſionem librorum, pecuniariis,aliiſ-
„ que corporalibus pœnis juxta criminis
„ gravitatem teneri.

„ Noviſſimè tandem (utì proſequitur
„ idem Urbanus) accepto per Nos in
„ oppido (civitate nuncupato) Lova-
„ nienſi, quoſdam aſſertos Cornelii Jan-
„ ſenii olim Epiſcopi Iprenſis executo-
„ res ex Teſtamento in lucem edi curaſ-
„ ſent librum cui titulus Auguſtinus
„ ex profeſſo continentem ac tractan-
„ tem materiam de Auxiliis, nullâ peni-
„ tus petitâ vel obtentâ à S. Congrega-
„ tione licentiâ illum imprimendi; ejus-
„ que Operis occaſione Patres Societatis
„ Jeſu nonnullas in civitate Antverpienſi
„ de eadem materia tractantes Theſes,
„ pariter abſque licentia ejuſdem Con-
„ gregationis imprimi curaſſe, opinio-
„ neſque Janſenii in prædicto libro con-
„ tentas oppugnaſſe: rurſusque nonnullas
„ alias Orationes, Scripturas, Epiſtolas
„ Theſesq; in calce infraſcripti Decreti
„ noſtri tunc regiſtratas, tam pro dicti
„ libri Janſenii, quàm Theſium à Patri-

„bus Jesuitis editarum defensione im-
„pressas fuisse, non solùm contra prædi-
„ctorum Decretorum prohibitionem,
„sed etiam in grave scandalum & offen-
„sionem Ecclesiæ Catholicæ. Nos ut
„malis ejusmodi imminentibus quanto
„citius occurreretur, & ne in posterum
„ullus auderet dictis Decretis contraire,
„per aliud Decretum 1. Augusti proxi-
„mè præteriti.... Librum Jansenii cui
„titulus Augustinus Lovanii impressum,
„nec non Theses à Patribus Societatis
„Jesu Antverpiæ in lucem editas, alias-
„que Scripturas in calce posterioris no-
„stri Decreti hujusmodi registratas, jam
„vigore anteriorum supradictorum De-
„cretorum prohibitas, de novo prohi-
„bemus &c. Mandamus insuper omni-
„bus & singulis.... ne in posterum au-
„derent imprimere, nec quoquo modo
„in lucem edere Libros, Tractatus,
„Compositiones ex professo vel inci-
„denter etiam sub prætextu commen-
„tandi S. Thomam, seu in Philosophi-
„cis agendo de concursu causæ primæ
„cum secunda, & præsertim defen-
„dendi aut impugnandi Librum dicti
„Jansenii cui titulus Augustinus, vel
„Theses Patrum Societatis Jesu.... aut
„aliâ quâvis occasione vel modo de ma-

„teria Auxiliorum Divinorum seu de „Gratia & Libero Arbitrio tractan- „tes, sine expressa licentia &c. Volui- „musque ea omnia suum plenarium sor- „tiri effectum, omnesque contrafacien- „tes, ut suprà, ligare, nec quemquam „excusari posse, etiam sub prætextu, „quòd anteriora nostra Decreta Pauli „Prædecessoris & Nostra, aliàs ut præ- „fertur, edita, non forent in Provinciis „intimata, vel usu recepta. Irritum quo- „que & inane decernimus &c. Et...vo- „luimus ut posterius nostrum Decre- „tum hujusmodi, seu illius exemplum „ad valvas Basilicarum S. Joannis Late- „ranensis & Principis Apostolorum de „Urbe, & in acie Campi Floræ affixum, „omnes ita arctaret, & afficeret, ac si „unicuique personaliter intimatum fo- „ret." Hactenus Urbanus.

II. Porrò Joannes Jansenius Canonicus Furnensis, & Cornelii Episcopi nepos, supra dictum 11. Augusti 1641. Decretum, subreptitium esse contendit, præsertim ex eo quod priora Decreta anni 1611. & 1625. non fuissent usu recepta, nec unquam legitimè promulgata, quandoquidem Universitas Lovaniensis 24. Aug. & 18. Sept. 1640. de-

claravisset, quod Decreti ullius quo à S. Sede prohiberetur in lucem edi libros tractantes de auxiliis Divinis, nulla extaret memoria, & quod nulla unquam observatio talis Decreti in Belio in illum usque diem fuisset. Ideoque dictus Joannes Jansenius Memoriale, quod nuper cum aliis similibus & similiter inhibitis opusculis reimpressum est, Regi exhibuit ad impetrandam executionis dicti Decreti suspensionem, donec Sedes Apostolica plenius instrueretur.

Verùm Urbanus VIII. in verbis ante relatis expresse declaraverat quòd dicti Decreti Paulini de anno 1611 tenor omnibus Superioribus Religionum & Universitatibus Studiorum & Ordinariis eorum nuntiaturæ, per Nuntios respective fuerit legitimè intimatus. Neque Universitas declaraverat oppositum, id est tale Decretum non fuisse per Nuntios prædictis omnibus legitimè intimatum: sed tantummodo declaraverat anno 1640 non extitisse memoriam illius Decreti quod Urbanus VIII. enuntiabat legitimè intimatum fuisse 30. fere annis antea. Neque quod in sua declaratione addiderat Universitas, *nullam unquam observationem talis Decreti in Belgio*

gio in illum usque diem fuisse, probabat antedictam intimationem non fuisse præfato tempore legitimè factam; non magis quam similis quoque contraventio hactenus perdurans probet non esse legitimè factam hactenus ullius talis Decreti intimationem, quam nimirum esse legitimè factam & sæpiùs innovatam, ex infra dicendis omninò constat.

Præterea Decretum 11. Augusti 1641. expresse rejicit istam exceptionem seu prætextum juxta quem contenderetur quod anteriora duo Decreta Pauli & Urbani non forent in provinciis intimata, vel usu recepta. Quod rectè Summo Pontifici competit, id est præfatam exceptionem rejicere, saltem quantum ad novam prohibitionem, quam tunc ita decernebat, ut prætermitteret unà declarare quod illi qui contravenerant, pœnas in priori Decreto suo de anno 1625. statutas incurrissent.

III. Cum autem, sicuti prosequitur idem Urbanus in eadem Bulla, "ex „diligenti & matura ejusdem libri cui ti- „tulus Augustinus lectione, postmo- „dum compertum fuerit in eodem libro „multas ex propositionibus à prædeces- „soribus nostris (*Pio V. & Gregorio XIII.*) dam-

„damnatas contineri, & magno cum
„Catholicorum scandalo & authoritatis
„S. Sedis contemptu, contra præfatas
„damnationes & prohibitiones defen-
„di. Nos... motu proprio & ex certa
„scientia nostra, ac de Apostolicæ po-
„testatis plenitudine... Pii & Gregorii
„Prædecessorum hujusmodi Constitu-
„tiones prædictas... confirmamus &
„approbamus, librumque prædictum
„cui titulus est Augustinus, articulos,
„opiniones & sententias in dictis Con-
„stitutionibus reprobatas atque damna-
„tas, ut à Nobis compertum est, con-
„tinentem & renovantem; aliaque om-
„nia opera præsentibus nostris litteris
„subinserta &c. omninò prohibemus
„&c. Opera verò addita aliis... prohibi-
„tis sunt sequentia.... Memorial au Roy
„incipiens, Jean Jansenius Chanoine &c
„& finiens, contra illa duo decreta Sum-
„morum Pontificum &c. Item Attesta-
„tio notarialis &c, incipiens, Ego infra-
„scriptus, & finiens, Petrus Mintaert
„Notarius. Approbatio sub nomine
„nonnullorum Theologorum ex variis
„religionibus... necnon Archiepiscopi
„Philippensis, aliorumque Theologo-
„rum Clericorum sæcularium Doctri-
næ

„næ C. Jansenii in dicto Libro Augu-
„stinus contentæ, incipiens, Quid cen-
„sendum sit de Doctrina &c. & finiens;
„& me publico & Apostolico, ac dictæ
„Universitatis Notario &c. Ut autem
„&c. volumus easdem præsentes nostras
„litteras seu earum transsumptum.... in
„Basilicæ Principis Apostolorum de
„Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ val-
„vis; atque in acie campi Floræ... publi-
„cari & affigi, earumque copiam inibi
„affixam dimitti, publicationemque,
„affixionem & copiæ affixæ dimissio-
„nem hujusmodi in omnibus & quoad
„omnia sufficere, & pro solemni & le-
„gitima haberi, nec aliam publicatio-
„nem in Regnis, Provinciis, Civitati-
„bus, oppidis, & locis requiri aut ex-
„spectari debere &c. Hæc omnia in di-
cta Bulla *In eminenti* data anno 1642. &
publicata Romæ anno sequenti: ac po-
stea statim missa ad Ordinarios. Ast il-
lius executionem in quibusdam Diœce-
sibus Belgicis aliquamdiu impediverunt
nonnulli Lovanienses, sub obtentu va-
riarum rationum quas S. Sedi exponere
cupiebant, quasque postea per Doctores
Sinnichium & Papium Romam oblega-
tos exposuerunt. Sed equidem Docto-
ribus

ribus illis longè lateque tum verbo tum scripto ibidem auditis, Sua Sanctitas 16. Junii 1644. decrevit antedictam Bullam plenarium suum effectum sortiri debere. prout hæc videre est in Diplomate Regio de 15. Martii 1651. quod extat inter Edicta Brabantiæ *parte* 3. *l.* 1. *tit.* 3. *c.* 4. & prout amplius patebit per Decretum Apostolic. infra referendum.

IV. Illi autem Academici Deputati querebantur imprimis de nomine Jansenii perperam inserto Bullæ *In Eminenti*, & de perperam enuntiata Bullæ Pianæ confirmatione per Grægoriũ XIII. sed quandoquidem duabus his querelis satisfactum sit in Historia Baianismi *pag.* 69. *& seqq.* hic solummodo notandum est quod Urbani VIII. verba in præfata Historia referantur ex libello *Rationum Archiepiscopi Mechliniensis*: & quod in attestatione Sinnichii à Santamoreo relatâ in Collectaneis, eodem planè sensu sic habeantur: *Cavisse ne in ista sua Bulla seu Constitutione, ullus in particulari sugillaretur cum expressione nominis.* Præterea iidem Deputati causabantur tantum abesse, propositionum à Pontificibus illis damnatarum aliquam, magno cum Catholicorum scandalo & authoritatis

tatis S. Sedis contemptu renovari & defendi in libro Jansenii, ut potius eas omnes jure damnatas & proscriptas fuisse, in illo disertè assereretur. Hoc solum affirmabant in eodem libro agi, & quidem summa erga S. Sedem veneratione, ut appareret quo sensu harum nonnullæ traderentur ab Augustino, quove alio sensu, & quas ob causas damnatæ fuerint & proscriptæ: idque ut ostenderetur Constitutionibus Pii V. & Gregorii XIII. veram & genuinam S. Augustini Doctrinam nullo pacto lædi, neque modernos Pontifices ab antiquis illius doctrinæ approbatoribus dissentire.

Causabantur insuper non omnes istas propositiones, vulgo Baianas, esse damnatas uti falsas, cum diceret Bulla, nonnullas aliquo pacto sustineri posse in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento; sed quasdam tantummodo proscriptas tanquam scandalosas, aut in pias aures offensionem immittentes, ex eo quod tunc temporis scandalizarent vel offenderent aliquos Magistros, qui Philosophiæ & Theologiæ Scholasticæ magis quam S. Augustini & aliorum SS. Patrum phrasibus erant assueti. Denique constanter asseverabant

verabant Librum Janſenii nihil contine-re præter ipſiſſima S. Auguſtini ſenſa; idque clarè demonſtrari poſſe, ſi liber il-le debitè examinaretur, & cum Scriptis ejuſdem Auguſtini conferretur. Videri poſſunt hæc inter *rationes ob quas Ar-chiepiſcopus Mechlinienſis à promulgatio-ne Bullæ qua proſcribitur Liber C. Janſe-nii abſtinuit* (quas rationes ſolidiſſimas vocat Author Prologi Panegyreos Jan-ſenianæ *pag.* 29. tametſi non obſtanti-bus illis, idem Archiepiſcopus iſti Bul-læ tandem acquieverit) videri etiam po-teſt Molinomachia, quam ibidem *p.* 24. laudat idem Author: & Panegyris Jan-ſeniana *pag.* 76. 77. *&* 78.

V. Verùm Sedes Apoſtolica non ſi-nit ullas Propoſitionum antedictarum ab Auguſtino traditas dici, & Auguſtini prætenſo ſenſu, vel alio quocumque de-fendi: quippe cùm Pius V. omnes & ſin-gulas *damnaverit, circumſcripſerit, abo-leverit, de eiſdem & ſimilibus poſthac quo-quo modo loquendi, ſcribendi & diſputan-di facultatem quibuſcumque interdixerit*: idque non ad tempus tantùm, aut ſo-lummodò propter certas circumſtantias, ſed abſolutè. Præthereà quod attinet ad intellectum horum Bullæ Pianæ verbo-

rum, *quamvis nonnullæ* (sententiæ) *aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio sensu ab assertoribus intento*, notum est, quòd exemplar Bullæ Deputatis Academicis per tres Cardinales ex Decreto posteà referendo traditum, & districtè observari jussum, habeat distinctum comma post hæc verba *sustineri possent*, & ante hæc, *in rigore & proprio verborum sensu*: & notum est quoque ad S. Sedem pertinere Bullarum suarum interpretationem, dubiorumque circa easdem exortorum decisionem. Quantum autem ad examen Libri Janseniani, Urbanus VIII. verbis antè relatis affirmat, quòd *ex diligenti & matura ejusdem Libri lectione* compertum fuerit, in eodem Libro multas ex Propositionibus à Prædecessoribus suis damnatas contineri & defendi: & paulò post repetit hæc verba, *ut à Nobis compertum est* &c. Quare cùm S. Sedi satisfactum esset, non debuit illa novum examen instituere, ut exploratam haberet dictæ prohibitionis æquitatem: (instituit tamen: nam, teste Santamoreo *p.* 4. *c.* 2. Innocentius X. ipsi & Collegis ejus 21. anni 1652. affirmavit, Lovanienses ad propugnandum Jansenii Librum Romam
 able-

ablegatos, dixiſſe quòd iſtius Libri doctrina cum Auguſtiniana planè conveniret: ſed, poſtquam idem Liber fuiſſet examinatus, & cum S. Auguſtini doctrina collatus, illos qui tunc temporis ad examen adhibiti fuerant, comperiſſe, quòd dictus Liber Propoſitiones à dicta S. Auguſtini doctrina multùm alienas contineret.) Neque verum eſt, velut ex ſequentibus apparebit, quòd ſecundùm Juris ordinationem debuerit S. Sedes in hac cauſa ullum alium examinatorem vel informatorem adhibere, quàm quem Ipſi adhibere placuit: quiquid contra nitatur Joannes Janſenius in fine præfati ſui Memorialis allegans Patrem J. B. Poza, qui quoſdam ſuos Tractatus à S. Congregatione Indicis vetitos & damnatos defendiſſe fertur, contendendo quòd in cauſis Librorum prohibendorum & expurgandorum, non ſolùm Scriptores, ſi modò Viri docti ſint, ſed eorum quoque Ordines, vel Academiæ, vel Provinciæ, vel Cognatio, audientiam poſtulantes, audiri *debeant*.

Cæterùm qualiter nihilominus auditi fuerint antedicti Deputati, & quid reſponſi tandem acceperint, patet ex ſequenti Decreto:

"Feria

"Feriâ 5. die 16. Junii 1644. in Generali Congregatione S. Romanæ & Universalis Inquisitionis &c.

„Cùm post publicatam Bullam Sanctissimi Domini nostri contra Librum Cornelii Jansenii olim Episcopi Iprensis, cui titulus Augustinus, excitatæ fuerint variæ difficultates occasione diversitatis exemplarium Bullæ præfatæ, & aliorum de quibus in nonnullis Libellis divulgatis: cùmque per Joannem Sinnichium & Cornelium Papium Doctores Universitatis Lovaniensis fuerint præsentatæ litteræ ejusdem Universitatis, nec non porrectus supplex libellus Sanctissimo Domino Nostro pro dictæ Bullæ veritate, & intentione Sanctitatis Suæ circa illam indagandâ: idem Sanctissimus litteras & libellum præfatum Sacræ Congregationi Supremæ & Universalis Inquisitionis remisit, ut per eam de contentis in illis informaretur, prout successivè informatus mandavit per Eminentissimos ac Reverendissimos DD. Cardinales Bernardinum Spadam, Joannem Baptistam Pamphilium (*qui posteà fuit Innocentius X.*) & Lælium Falconerium, tres ex Su-

„premis

„ premis Inquisitoribus, antedictos Sin-
„ nichium & Papium audiri, & deinde
„ Sanctitati Suæ ab eis deducta referri.
„ Qui quidem Domini Cardinales, in
„ executionem dicti Mandati, præfatos
„ Doctores verbo & scripto multa dedu-
„ centes, tum congregatim tum priva-
„ tim audiverunt; eaque omnia in præ-
„ fata Suprema & Universali Congrega-
„ tione priùs communicata, ac ibi plu-
„ ries discussa, unà cum voto ipsius Con-
„ gregationis Sanctissimo Domino No-
„ stro diligentissimè retulerunt. Sancti-
„ tas verò Sua auditâ relatione & voto
„ præfatis, nec non omnibus maturè
„ perpensis & consideratis, mandavit
„ ex Archivio ejusdem Congregationis,
„ & ex matrice Actorum, quæ in eodem
„ Archivio conservantur, extrahi sive
„ transcribi, & diligenter collationari,
„ ac imprimi exemplar Bullæ præfatæ,
„ illudque sic extractum, collationatum
„ & impressum, eisdem Sinnichio & Pa-
„ pio, per supradictos DD. Card. Spa-
„ dam, Pamphilium, & Falconerium
„ consignari, ipsisque insuper Sinnichio
„ & Papio intimari, & significari, Suæ
„ Sanctitatis mentem & voluntatem esse,
„ ut eidem exemplari sic consignato fi-
„ des

„des adhibeatur, & ab omnibus Christi „Fidelibus Bullæ hujusmodi omnino „pareatur, sub pœnis & censuris in ea „contentis: & demum super dubitatio-„nibus, difficultatibus, ac querelis oc-„casione præfatæ Bullæ quoquo modo „excitatis vel excitandis perpetuum si-„lentium imponi, prout imposuit, & „ita &c. Non obstantibus omnibus & „quibuscumque in contrarium adductis „& deductis &c. Insuper Sanctitas Sua „mandavit juxta sensum præfatum scri-„bi per eamdem S. Congregationem „Nuntiis Apostolicis ac locorum Ordi-„nariis, & expediri etiam litteras ad „Gubernatorem Flandriæ, & Univer-„sitatem Lovaniensem, & ad alios &c.

Et die 29. Julii 1644. consignatum fuit exemplar Bullæ, & significata fuit mens & voluntas Suæ Sanctitatis, ut in præfato Decreto.

Verùm quidam Academici nondum acquiescentes, ad Aulam Madritensem per alium Deputatum recurrunt: ubi rursum auditis omnibus eorumdem alle-gationibus (& consequenter auditis etiam rationibus quæ tum ex parte Ar-chiepiscopi Mechliniensis, tum Epis-copi Gandavensis afferebantur, & quæ anno

anno 1649. typis excuſæ erant) Regia Majeſtas 14. Julii 1650. pronuntiavit nullam ſubeſſe rationem impediendi aut diutius protrahendi præfatæ Bullæ publicationem & executionem: prout hęc conſtant ex antedicto Diplomate Regio de 15 Martii 1651. per quod executioni demandata fuit ſæpe dicta Bulla Urbani.

VI. Intereà, ſicuti videre eſt apud L. Santamoreum, Diarii *p.* 1. *c.* 6. 11. Julii 1649. N. Cornetus Facultatis Pariſienſis Syndicus, cauſatus doctrinas novitias quotidie in Baccalaureorum Theſibus propugnandas conſpici, eòque rem eſſe provectam, ut neceſſario ac prompto egeret remedio, quinque famoſos articulos (additis tum duobus aliis qui deinceps reſciſſi ſunt) Facultati cenſurandos obtulit: factâque propoſitione, Decanus ex ſuffragiorum pluralitate concluſit articulos examinandos eſſe, & in hunc finem deputari quoſdam è Doctoribus. Additum quòd articuli Doctoribus omnibus ſcripti traderentur, ut ſuper illis in proxima Facultatis Congregatione 1. Auguſti deliberaretur: & quòd intereà Deputati ſuper iiſdem inter ſe conferrent. Cùmque Deputati

illi

illi, quemadmodùm refert Sant. ibidem *c.* 9. dictos articulos condemnandos esse conclusissent: hancque suam conclusionem Facultati referre meditarentur Doctor Santamoreus, qui ab initio se Syndici conatibus opposuerat; volens oppositionem suam prosequi, ad Senatum Regium tanquam ab abusu (prout Gallis mos est, etiamsi Clero Gallicano non probatus) appellavit ab examine & judicio Deputatorum, necnon à propositione Syndici, & conclusione Decani de 1. Julii: suamque appellationem Congregationi Sorbonicæ 2. Augusti insinuavit, & illicò se eidem adjunxere 60. Doctores alii: 21. verò ejusdem mensis, aliquot mensium induciæ concluduntur inter partes: & nihilominus circa medium Septembris in lucem prodiit quædam censura dictorum articulorum à Deputatis concepta: *Ib. c.* 11. cujus publicationem Senatus 5. Octobris interdixit, uti & quamcumque disputationem aut scriptionem super iisdem articulis, donec &c. *Ib. c.* 12.

Cumque Hallerius 1. Octobris ad officium Syndici electus fuisset, Santamoreus, qui hactenus eundem Hallerium sibi amicum, & nuper in defendenda

F Uni-

Universitate adversus Jesuitarum prætensiones intimè sibi conjunctum habuerat, vereri cœpit ne novus ille Syndicus prædecessoris sui Corneti, cujus favore electus fuerat, inceptum circa 5. articulos prosequeretur: *p.* 4. *c.* 10. Ideoque præfatus Sanctamoreus Senatum interpellavit adversus Hallerii electionem; causatus quod ipse Patris à Lapide commentarium in Epistolas Canonicas, adeoque potestatem Ecclesiæ in temporalia Regum approbasset: 1.*p.c* 13. adjunctisque sibi septem aliis Doctoribus Decretum obtinuit, quo inhibebatur Hallerio ne sibi sumeret officium Syndici, donec &c. cui Decreto tamen ille non paruit. *Ib. c.* 14. *&* 15.

VII. Anno 1650. complures (80.) Galliarum Episcopi Innocentio X. Famosas 5 Propositiones obtulerunt, obtestatique fuerunt ut easdem expenderet, & perspicuam ac certam de unaquaque sententiam ferret. Diarii *p.* 2: *c* 2.

Interea Santamoreus in cujusdam Nobilis comitatu Romam petit, dumque inde rediens, Genuam appellit mense Junio anni 1651. ibidem accipit quorundam aliorum Galliæ Episcoporum litteras ab ipso tanquam eorum Legato Ponti-

Pontifici perferendas, quibus iidem Episcopi 5. Propositiones ad libitum fictas & ambiguis vocibus concinnatas esse, remque gravissimam & difficillimam concernere significabant; ac propter has aliasque causas non satis tutum esse pro tempore censebant tantam litem definiri, nisi solemni forte instituto judicio, vocatis & auditis ambabus partibus, ut non pridem sub oculis P. M. Clementis VIII. & Pauli V. tactitatum erat, rem totam placeret à fontibus & ex integro ventilare. Apud Santamoreum in Collectaneis, *pag.* 5.

10. Julii 1651. Santamoreus præfatas litteras Innocentio X. tradidit, inter alia dicens quod 5 Propositiones essent ambiguæ, paterenturque sensum hæreticum à nemine propugnatum, & sensum Catholicum ab Adversariis impugnatum: & quod iidem Adversarii intenderent sub prætextu sensus hæretici damnandi, obtinere censuram quam postea sensui Catholico forent applicaturi. Respondit Pontifex quod si propositiones istæ continerentur in Bulla Urbani VIII. seu potius Pii V. illa prævio examine nimis maturo emanavisset, ut in dubium ulla ex parte revocari sineretur;

tur: sin autem quid novi foret, illud accurato & maturo examini subjiceretur. Replicuit Santamoreus quod Bulla Urbani recepta fuisset & publicata per Archiepiscopum Parisiensem, & quod nulla 5. Propositionum in ista Bulla contineretur. Diarii *p.* 3. *c.* 4.

VIII. 21. Anni 1652. alii à pluribus Galliæ Episcopis pro tuenda S. Augustini doctrina Deputati, nempe Dominus Brousse, Lalane, & Angran, Romam paulò ante appulsi, cum Santamoreo Pontificem adeunt, supplicantes ut Congregationem aliquam constituere dignetur ad examinandas 5. Propositiones æquivocas, & ad fraudem fictas; utque partibus tum voce tum scripto coram auditis, & omnibus scripturis mutuo communicatis, pronuntietur quid sequendum, quid fugiendum; quis istarum propositionum sensus sit falsus, quis verus seu Augustinianus. Diarii *p.* 4. *c.* 2. Respondit Papa, teste Santamoreo ibidem, quod nullam Jansenii mentionem fieri vellet. Quod ubi liber ejus lucem aspexit, diligens examen fuerit institutum. Quod examine peracto, Bulla Urbani VIII. confecta fuerit & promulgata; per quam iste liber, pariterque Jesui-

ticæ Theſes eandem materiam tractantes inhibebantur. Quod circa publicationem & executionem Bullæ iſtius variæ difficultates motæ fuerint: ſed nunquam compertum fuerit illas ad impediendam executionem Bullæ ſufficere. Quod nihil amplius ſuper illas audire vellet; ſed obedientiam & executionem exigeret. Quod Pontificiæ prohibitiones edendi ſcripta & diſputationes de auxiliis emanaviſſent non ſine magna neceſſitate, & cognitione cauſæ. Quod Clemens VIII. & Paulus V. poſt multum laboris, temporis, ac ſtudii circa materiam iſtam impenſi, poſt congregatos plures Theologos præſtantiſſimos qui iſti rei plurimum incubuerant, tandem nihil aliud efficere potuerint, quam ſimpliciter utrique parti ſilentium imponere. Quod expediret illud obſervare, & non innovare nunc veteres illas controverſias, quæ tunc terminari non potuerunt: & conſequenter non petere ſtatui novam Congregationem de Auxiliis. Quod quantum ad Doctrinam Sancti Auguſtini, illa proculdubio ſequenda & amplectenda foret in Eccleſia, quemadmodum in ſingulari ſemper æſtimatione & veneratione habita fuerat, ſed
quod

quod quæreretur quinam illi sint, qui doctrinam illam revera sequuntur. Sant. *loco citato.*

IX. 23. Feb. 1652. Galli supra dicti Summo Pontifici per Legatum Regis Galliæ, libellum obtulerunt, in quo inter cætera declarabant, 1. Se tantum impugnare gratiam sufficientem Molinisticam libero arbitrio subjectam. 2. Se super materia 5. propositionum solummodo sustinere gratiam efficacem. 3. Se non suscepisse defendendum librum Jansenii: *Diarii p* 4. *c.* 4. Et mense Martio singulos Cardinales visitarunt, omnesque S. Officii Consultores & Qualificatores, quibus suæ legationis argumentum, Adversariorum suorum artes exposuerunt, uti refertur ibidem *c* 5. *&* 6.

X. 4. Maii narratur Santamoreo Generalem Dominicanorum accessisse Suam Sanctitatem, eique libellum exhibuisse quo supplicabat ut ante omnia, tractatio de Auxiliis resumeretur, incipiendo ab illo statu, in quo per Paulum V. relicta fuit: Suam Sanctitatem respondisse quod materiam de Auxiliis prorsus intactam relinquere vellet: & idem quoque Generali Augustinianorum significavisse *p.* 4. *c.* 10.

XI. 24. Maii Romam adventant DD. Hallier, Lagault & Joysel, qui se dicebant ab 80. Episcopis Gallis esse deputatos ad sollicitandum judicium S. Sedis super 5. propositionibus. *Ib.*

XII. 11. Julii declaratur Santamoreo ejusque Collegis, quod Sanctissimus Dominus instituerit Congregationem pro 5. propositionum examine petitam, & constantem his Cardinalibus, Roma, Spada, Ginetti, Cechinni, & Chisi, (qui postea fuit Alexander VII) *p.* 5 *c.* 1. Ideoque præfati Doctores scripta duo conficiunt: alterum in quo continebatur illud totum quod in 5. Propositionum negotio contigerat à prima Julii 1649. usque 11. Julii 1652. & in quo deinde petebatur ut ante omnia 5. Proponsitiones in varios sensus distinguerentur, videlicet in sensum Augustinianum & sensum erroneum: & ut sex propositiones pro authoritate & doctrina S. Augustini ibidem exhibitæ, ab omnibus admitterentur. Alterum verò scriptum priori longè prolixius, intitulatum erat, universæ Ecclesiæ traditio super authoritate Doctrinæ S. Augustini. *Ib. c.* 7.

XIII. 27. Januarii (1653.) introducti sunt in concessum tres Doctores Sorbonici,

bonici, Dominus Hallier Syndicus Universitatis, & Dominus Lagault, & D. Joysel, & jussi sunt sedere in medio Consultorum.... Dominus Hallier peroravit eruditè & ferventer contra doctrinam Jansenii & sequacium. 2. Multa dixit contra eorum mores & vitam. 3. Alia addidit, præsertim ex iis quæ fecerunt Parisiis contra Hibernos & Sorbonam, provocantes ad Parlamentum. Et demum instanter rogavit ut Propositiones istæ condemnarentur. Hæc referuntur in *Relatione Brevi Waddingi* ab Authore *Defensionis Ecclesiæ Romanæ* productâ, & in Panegyri laudatâ.

XIV. 14. Februarii ejusdem anni Cardinalis Chisius Santamoreo objecit, quòd etiamsi Sua Sanctitas ei Sociisque ejus ab initio declarasset nolle se ullatenus ingredi materiam de Auxiliis, nihilominus prima ipsorum Scripta directè ad materiam illam tenderent. Hęc Santamoreus *p. 6. c. 7.* qui respondit non posse rectè judicari de 5. Propositionibus nisi ista materia discutiatur, & se suosque Socios sperare, quòd Pontifex hujus discussionis necessitatem in progressu agniturus esset. Sant. *ib.* Et similitèr ubi Cardinales indicabant quòd

5. Pro-

5. Propositiones qualificare intenderent secundùm seipsas sive secundùm terminos, quibus constant, abstrahendo à sensu unius vel alterius, significabant præfati Doctores se non curare Propositiones illas in abstracto, id est sine distinctione sensuum: sed attendere fundum doctrinæ quæ Propositionum occasione controvertebatur. Sant. locis infrà in 3. objectione referendis.

XV. 10. Martii 1653. Pontifex in prima Congregationum coram Sua Sanctitate habitarum apertè declaravit se nolle ut ullum omnino præjudicium creetur doctrinæ SS. Augustini & Thomæ. Santamoreus *p. 6. c.* 13.

XVI. 4. Maii Pater Desmares & D. Manessier, qui (Dño Brousse propter ægritudinem in Galliam reverso) Dominis Lalane, St. Amour, & Angran subsidio venerant, apud Pontificem instare perrexerunt, ut præsente Parte suâ audirentur in judicio contradictorio, & Scripta communicarentur: sed frustra; cùm Pontifex sine disputationibus, quæ in infinitum protrahi potuissent per Theologos undequaque Romam accedentes, consideret redditurum se pacem Ecclesiæ, diceretque perperam ipsos sup-

ponere quòd haberent partem ſibi oppoſitam, adderetque minimè neceſſariam eſſe diſputationem cum illis quos partem ſuam vocabant, quippe cùm non ageretur de inſtituenda lite: ſed tantummodò de qualificandis quibuſdam Propoſitionibus: ſeque nihilominus ipſos auditurum ſine parte & ſine diſputatione. Quamobrem omnes antedicti Deputati ſe Pontifici ſiſtere decreverunt, dum ipſi placeret illos accerſitos audire, nullâ parte præſente. Sant p 6 c 18.

XVII. Intereà Generalis Dominicanorum in patronum adſcito Principe Juſtiniano Pontificis & ſuo conſanguineo perſæpe conatus eſt Suæ Sanctitati Memoriale cum adjunctis quibuſdam Scriptis hanc cauſam concernentibus exhibere; ſed fruſtra: hujuſque repulſæ hæc erat ratio, quam tacitam præterit Auathor Prologi Panegyreos *pag* 31. & quam refert Santamoreus *p.* 6. *c.* 20. nempe quòd eadem Sanctitas vellet eandem cauſam definire non ingrediendo materiam de Auxiliis.

XVIII Prædicti verò Deputati paucis poſt diebus quinque ſcripta parare cœperunt: *Ib. c.* 21. Quorum primum continebat centum & aliquod propoſitiones

tiones è libris Jesuitarum extractas, & authoritati S. Augustini contrarias. Secundi titulus erat: *Brevissima 5. Propositionum in varios sensus distinctio.* Tertium fusè probabat efficacis gratiæ necessitatem. Quarti scopus erat exponere, & per traditionem Ecclesiæ probare prætensum verum & Catholicum primæ propositionis sensum, rejectis aliis ejusdem propositionis sensibus erroneis. Quinto explicabantur sexaginta circiter Augustini loca ab Hallerio, Legault & Joysel producta contra primam propositionem: & unà defendebatur Jansenius super eo quod contenderetur rejicere quamcumque gratiam sufficientem. *Sant. ibidem.* Videri etiam potest *pag.* 110. Collectaneorum.

XIX. 19. Maii 1653. quinque supradicti Deputati coram Pontifice, Cardinalibus, & Consultoribus comparuerunt, & D. De Lalane per horam integram disseruit super *Brevissima 5. Propositionum in varios sensus distinctione*: quod Scriptum etiam tunc verbotenus legit, Santamoreo teste *p.* 6. *c.* 22. ac super reliquis quatuor Scriptis per sesqui horam dixit, *p.* 6. *c.* 23. Deinde etiam per sesqui horam peroravit P. Desmares.

Ac tandem antedicta 5. Scripta, cum libello supplice scopum illorum aperiente, Suæ Sanctitati tradiderunt. *Ib c.* 22.

Celebre verò scriptum istud, *Brevissima 5. Propositionum &c.* sicuti videre est in Diario & in Panegyri, continebat pro unaquaque 5. Propositionum, tres columnas, in quarum prima ponebatur sensus hæreticus: in secunda sensus propositionis prout ab ipsis defendebatur: in tertia ponebatur propositio contraria, ut ab Adversariis defendi dicebatur. Et sic pro prima propositione ponebatur hic sensus hæreticus: "Justis omnibus "quantumlibet volentibus & conanti-"bus secundum præsentes quantascum-"que vires quæ à gratia magna & effica-"ce habentur, mandata Dei sunt impos-"sibilia. Deest quoque illis semper & "quamdiu vivunt gratia qua possint vel "unum ex mandatis Dei sine peccato "adimplere. *Et subjungebatur.* "Hæc "propositio est hæretica, Calviniana aut "Lutherana, & à Concilio Trid. dam-"nata."

Pro secunda propositione ponebatur hic sensus hæreticus: "Interiori gratiæ "efficaci in statu naturæ lapsæ eatenus "nunquam resistitur, quatenus voluntas

"ho-

" hominis respectu gratiæ efficacis merè " passivè se habet, & velut inanime quod- " dam nihil omnino agit, nec coopera- " tur nec liberè assentitur." *Et subjun- " gebatur.* Hæc propositio est hæretica, " Calviniana, Lutherana, & à Concilio " Trid. damnata." *Deinde pro eadem 2. propositione addebatur hic sensus erroneus:* " Interiori gratiæ sumptæ pro simplici " quadam illuminatione intellectus & " suasione voluntatis in statu naturæ lap- " sæ nunquam resistitur." *Item alius sensus erroneus:* " Interiori gratiæ Christi, " cum adhuc parva est, & dat tantum " voluntatem inchoatam, in statu naturæ " lapsæ nunquam resistitur, quantum ad " effectum interiorem ad quem dispo- " nit."

Pro tertia propositione ponebatur hic sensus hæreticus: " Ad merendum " & demerendum in statu naturæ lapsæ " non requiritur in homine libertas à ne- " cessitate naturali, qualis etiam reperi- " tur in motibus indeliberatis, sed suffi- " cit mera libertas à coactione." *Et subjungebatur:* " Hæc propositio hæretica " est, Calviniana aut Lutherana."

Pro quarta propositione ponebatur hic sensus hæreticus: " Gratia Christi

"præveniens talis eſt ut liberum arbi-
"trium hominis ab ea motum & excita-
"tum non poſſit diſſentire ſi velit. Ali-
"ter dicere ſemipelagianum eſt." *Et ſub-jungebatur*: "Hæc propoſitio eſt hære-
"tica, Calviniana aut Lutherana, & à
"Concilio Trid. damnata."

Pro quinta propoſitione ponebatur hic ſenſus hæreticus: "Chriſtus mor-
"tuus eſt tantummodo pro prædeſtina-
"tis, ita ut ii ſoli per meritum mortis
"Chriſti veram fidem ac juſtitiam acci-
"piant." *Et ſubjungebatur*: "Hæc pro-
"poſitio eſt Hæretica, Calviniana aut
"Lutherana, & à Concilio Trid. dam-
"nata. Hæc ibi.

XX. Quibus conformia ſunt illa quæ de prædicta ſolemni audientia in antedicta brevi relatione Lucæ Waddingi referuntur his verbis: "XXXVI. Con-
"gregatio, ſed XI. coram Sanctiſſi-
"mo die Lunæ, 19. menſis Maii.
"Adfuerunt omnes, præter Cardina-
"lem, Cechinum. Introducti ſunt
"quinque Presbyteri Galli Sorbonici,
"qui partes tuebantur Janſenii. Pri-
"mus qui cœpit perorare Abbas de La-
"lane, incepit à gravitate materiæ: De-
"inde proceſſit ad laudes S. Auguſtini,
"ejuſque

"ejusque inculcandam auctoritatem, in
" materia præsertim de Gratia, magno-
" que ardore retulit multas Propositio-
" nes à PP. Jesuitis, præsertim à P. A-
" damo in libro nuper Parisiis excuso,
" contra S Augustini doctrinam, vel
" scriptas vel prolatas. Demum ad ex-
" plicandos vel distinguendos varios sen-
" sus quinque Propositionum descendit,
" & in quo sensu ab ipso, à sociis, aliis-
" que sibi adhærentibus defendebantur,
" explicavit. In sensu Hæreticorum do-
" cuit esse Calvinianas aut Lutheranas.
" In sensu Jesuitarum contendebat esse
" Pelagianas. In sensu altero ab ipsis in-
" tento, de gratia per se efficaci, dice-
" bat esse catholicas. Monuit demum
" instantiam Episcoporum Galliæ non
" esse, ut absolutè illæ Propositiones
" condemnarentur; sed ut, distinctis &
" declaratis variis intelligentiis, in mala
" condemnarentur, in bona approba-
" rentur. Secundo loco locutus est D.
" Desmarcs Doctor Sorbonicus" (*non Doctor Sorbonicus*, *sed Gallicani Oratorii Presbyter*, ait author *Defensionis Ecclesiæ Romanæ*) " insignis Concionator, qui
" longissimo discursu voluit probare ex
" 16. capitibus, gratiam ex se efficacem,
" non

" non verò ex assensu liberi arbitrii, ne-
" que ab illo ad nutum dependere: ince-
" pitque 1. ab orationibus Ecclesiæ, in
" quibus conabatur ostendere, semper
" inculcari gratiam ex se efficacem. Di-
" xit autem valdè prolixè, modo con-
" cionatorio, semper hærens in 1. ca-
" pite; & dum ad 2. perveniret, su-
" pervenerunt noctis tenebræ, ita ut dissi
" solvi oporteret Congregationem. Illi
" autem processerunt ad pedes Sanctissi-
" mi Domini, obtulerunt ei varia Scri-
" pta & Libros in suæ causæ patroci-
" nium, quos benignè auditos Sua San-
" ctitas dimisit, post quatuor horas tæ-
" diosæ sessionis.

" Tandem Sua Sanctitas, longâ &
" maturâ præmissâ cum Dominis Cardi-
" nalibus Sacræ Congregationis discus-
" sione, Constitutionem edidit, in qua
" singulas has Propositiones variis affe-
" ctas censuris condemnat." Hæc ibi.

XXI. Itaque anno 1653. pridie Kalendas Junii emanavit Innocentii X. Bulla 5. Propositionum condemnatoria, quæ sic incipit: " Cùm occasione im-
" pressionis Libri cui titulus Augustinus
" Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis,
" inter alias ejus opiniones orta fuerit
" præ-

" præsertim in Galliis, controversia su-
" per 5. ex illis, complures Galliarum E-
" piscopi apud Nos institerunt, ut eas-
" dem Propositiones Nobis oblatas ex-
" penderemus, ac de unaquaque earum
" certam & perspicuam ferremus senten-
" tiam.

" Tenor verò præfatarum Proposi-
" tionum est prout sequitur.

" Prima: Aliqua Dei præcepta homi-
" nibus justis volentibus & conantibus
" secundùm præsentes quas habent vires,
" sunt impossibilia, deest quoque illis
" gratia, quâ possibilia fiant.

" Secunda: Interiori gratiæ in statu
" naturæ lapsæ nunquam resistitur.

" Tertia: Ad merendum & deme-
" rendum in statu naturæ lapsæ non re-
" requiritur in homine libertas à necessi-
" tate, sed sufficit libertas à coactione.

" Quarta: Semipelagiani admitte-
" bant prævenientis gratiæ interioris ne-
" cessitatem ad singulos actus, etiam ad
" initium fidei; & in hoc erant Hære-
" tici, quòd vellent eam gratiam talem
" esse, cui posset humana voluntas resi-
" stere, vel obtemperare.

" Quinta: Semipelagianum est dice-
" re Christum pro omnibus omnino ho-

"minibus mortuum eſſe, aut ſanguinem
"fudiſſe."

Et infrà : "Tandem (ait Pontifex)
"Divino Numine favente ad infraſcri-
"ptam devenimus declarationem & de-
"finitionem.

"Primam prædictarum Propoſitio-
"num... temerariam, impiam, blaſ-
"phemam, anathemate damnatam, hæ-
"reticam declaramus, & utì talem dam-
"namus.

"Secundam... hæreticam declara-
"mus, & utì talem damnamus.

"Tertiam... hæreticam declaramus,
"& utì talem damnamus.

"Quartam... falſam & hæreticam
"declaramus, & utì talem damnamus.

"Quintam ..... falſam, temerariam,
"ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu,
"ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat præ-
"deſtinatorum mortuus ſit, impiam,
"blaſphemam, contumelioſam, Divinæ
"pietati derogantem, & hæreticam de-
"claramus, & uti talem damnamus."

Et infra : "Non intendentes tamen
"per hanc declarationem & definitio-
"nem ſuper prædictis 5. propoſitionibus
"factam, approbare ullatenus alias opi-
"niones quæ continentur in prædicto li-
"bro Cornelii Janſenii." Unde

Undè manifestum est 5. propositiones ibi non damnari in sensibus hæreticis ante assignatis, sed damnari juxta suum tenorem, nec non in sensu Jansenii, seu libri ejus: sicuti fusiùs explicabitur in Responsione ad ultimam objectionem.

XXII. Santamoreus autem de se suisque Collegis loquens sic ait Diarii sui *p.* 6. *c.* 21. "Constitutione editâ, simpliciter acquievimus propositionum absolutæ condemnationi, ita ut postea "nullum bonum sensum illis assignaverimus, nec illas ullo modo aut ullo prætextu sustinuerimus." Ita ille, nec immeritò: nam (ait Auctor ab eodem Santamoreo in collect. pag. 77. productus) "contra opinionem Magistri S. Palatii "qui ante Constitutionem existimaverat "primam propositionem in sensu gratiæ efficacis accipi posse, sic illam interpretandam non esse judicavit Summus Pontifex, cujus judicio Christianus orbis assensus est. Efficacis ergo "gratiæ sensum damnatæ propositionis, "verbis exprimere nefas est post Constitutionem." Et præterea Santamoreus *p.* 6. *c.* 21. dicit propositiones in suo naturali, litterali, & rigoroso verborum sensu esse damnatas.

Qui-

Quibus non obstantibus, & non obstante pariter eo quod Paulus Irenæus *disq.* 1. *a.* 1. apud Santamoreum in Collectaneis pag. 188. sic scripserit Anno 1657. *Omnes ad unum Catholici istas propositiones proscribunt & quidem in proprio verborum sensu*; quibus, inquam, non obstantibus, plures etiam post Constitutionem palam affirmârunt 5 propositiones non esse damnatas in sensu Jansenii, & in ejus libro non reperiri: quinimò videtur quod illorum aliqui, etiam post Constitutionem existimârint sufficere quod damnarent 5. propositiones juxta sensus hæreticos ipsis attributos in primis columnis præfati scripti *distinctionis sensuum*: adeo ut tam non damnarent 5. propositiones juxta suum tenorem, juxta quem illas damnaverat S. Sedes, quam non damnarent juxta sensum Jansenii, juxta quem etiam illas damnaverat eadem S. Sedes; sed solummodo damnarent propositiones à 5. famosis quoad sensum rêvera diversas: prout videre est has quinque conferendo cum quinque aliis primarum columnarum sensus hæreticos exprimentibus. Atque ita si non malitiosâ, quod piè credendum est, saltem verâ propositionum permutatione,

fidei

fidei definitiones eludebantur. Idque profectò nonnumquam ita contigisse, credibilius ex eo redditur, quod etiam modò quidam Scriptor Prologi Panegyreos pag. 67. optet primæ propositionis sensum hunc ab omnibus Christi fidelibus reprobandum explicari. "Aliqua Dei præcepta justis omnibus volentibus & conantibus secundùm præsentis vitæ vires sunt absolutè impossibilia, deest quoque iisdem gratia qua possibilia fiant." *Hunc secundæ*: "Interiori gratiæ, utpote liberum arbitrium necessitanti, seu violentiam adferenti, numquam resistitur." *Hunc tertiæ*: "Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate naturali, qualem in brutis cogitamus, sed sufficit libertas à coactione." *Hunc quartæ*: "Semipelagiani in hoc erant hæretici quod vellent gratiam talem esse ut voluntas non posset ab illa, utique violentiam adferente, dissentire si vellet." *Et quintæ hunc*. "Semipelagianum est dicere, Christum sive voluntate divinâ quam antecedentem vocant, sive desiderii cujusdam humana, pro omnibus omnino hominibus mortuum

„esse aut sanguinem fudisse."

Porro consideranti patet illas 5. propositiones quoad sensum omnino differre à quinque famosis, adeo ut qui illas damnat, non ideo damnet quinque famosas, nempe (prout à S. Sede damnatæ sunt) juxta suum tenorem, sive juxta sensum obvium quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt. Ac proinde agitur hic de famosarum quinque propositionum hæresibus: & non tantum de eo quod vocant Factum Jansenii controversum; id est non tantum de eo, an ille sensus obvius quem ipsamet 5. propositionum famosarum verba præ se ferunt importetur, nec ne, in libro Jansenii. Et consequenter agitur, prout dictum est, de sensu obvio quem ipsamet 5. propositionum verba præ se ferunt, & quem S. Sedes sensum Jansenii vocat, quique non planè convenit cum sensu Lutherano aut Calviniano per Concilium Trid. damnato. Unde etiam verum non est quod apud Santamoreum invenitur, *p. 7. c.* 2. & à Scriptore Prologi Panegyreos *pag.* 35. comprobatur, nimirum per damnationem 5. propositionum renovari dumtaxat damnationes per Concilium Tridentinum jam pridem

dem factas adversus sensum Lutheranum aut Calvinianum: sed econtra verum est quod ab Innocentio X. damnatæ sint hæreses de novo erumpentes: etiamsi per hoc non sit inductum jus novum. Nam quod ibidem dicitur apud Santamoreum, & in dicto Prologo, verbum *Declaramus* non inducere jus novum; nihil continet huic casui proprium, quandoquidem habeat locum in damnatione cujuscumque hæreseos: non enim Ecclesia aut Sedes Apostolica propositionem ullam damnat ut hæreticam, nisi per sententiam Verbi Divini scripti vel traditi declaratoriam; idque sive utatur verbo *Declaramus*, sive non. Quod autem apud eundem Santamoreum dicto loco additur vocem *Declaramus* indicare quod non importetur nova censura, subsistere non potest: nam evidens est quod nova declaratio qua propositio declaratur hæretica, novam censuram importet, licet non jus novum. Et hæc interserta sint ad sequentium elucidationem.

XXIII. 28. Martii 1654. Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi Parisiis congregati Romano Pontifici hæc inter alia scripsere: "Clerici numero pauci "quinque propositiones proscriptas "dam-

"damnare ſe quoque profitentur : ſed a-
"lio planè ſenſu quam qui à Janſenio
"traditus & explicatus eſt: ad quem pro-
"poſitiones illas nullatenus pertinere
"conſtantiſſimè aſſerunt.... Quare nos
"in hac Urbe Pariſienſi congregati cen-
"ſuimus, & per Epiſtolam encyclicam
"his litteris adjunctam declaravimus
"propoſitiones illas & opiniones eſſe
"Cornelii Janſenii, & in ſenſu ejuſdem
"Janſenii à Sanctitate Veſtra damnatas
"diſertis & manifeſtis verbis." Ita illi.
Quam declarationem factam eſſe *ſur les pieces produites de part & d'autre* teſta-
tur Congregatio Provincialis Epiſcopo-
rum Provinciæ Pariſienſis habita hoc
anno 1699. 13. Maii.

Innocentius autem X. ſupradictis E-
piſcopis hæc inter alia reſcripſit 29.
Sept. ejuſdem anni 1654. "Jucundum
"ſanè accidit probari Nobis luculentiùs
"veſtræ pietatis zelum in iis partibus ob-
"eundis, quas Nos omnibus Paſtoralis
"officii Adminiſtris injunximus, ut qua
"par eſt obedientia, ubique ſervari enixè
"curent Conſtitutionem noſtram, qua
"die 31. Maii 1653. *Damnavimus in 5.*
"*propoſitionibus Cornelii Janſenii doctri-*
"*nam ejus libro contentam*, cui titulus
"Auguſtinus."

XXIV. Interea, videlicet ante præfatum Breve, idem Pontifex ediderat sequens Decretum:

Feriâ V. die 23. Aprilis 1654.

"In Congregatione Generali S. Ro„manæ & Universalis Inquisitionis &c.

"SS. D. N. Innocentius Papa X. post „condemnatam suâ Constitutione edi„ta pridie kal. Junii anni Incarnationis „Dominicæ 1653. in 5. propositioni„bus Augustini Cornelii Jansenii Epis„copi Iprensis doctrinam, ne occasione „doctrinæ prædictæ in mentes Christi „fidelium aliquod dubium vel error ir„repat, eundem Augustinum Cornelii „Jansenii... iteratò una cum aliis infra„scriptis libris, prohibet & damnat &c."

Inter istos autem alios libros inveniuntur sequentes: "Rationes ob quas „Illustrissimus & Reverendissimus D. „Archiepiscopus Mechliniensis à pro„mulgatione Bullæ quâ proscribitur li„ber cui titulus, Cornelii Jansenii Epis„copi Iprensis Augustinus 1649. quo„cumque idiomate impress.

"Raisons pour lesquelles on n'a trou„vé convenir de publier au Diocése de „Gand avec la solemnité accoutumée, „certaine Bulle contre le livre du de-

„ſunt Eveſque d'Ipre Janſenius, repre„ſentées par Monſeigneur le Reveren„diſſime Eveſque de Gand 1649.

„Defenſio Belgarum contra evoca„tiones cauſarum & peregrina judicia, „1. 2. ſeu alterius editionis.

„Jus Belgarum circa Bullarum Pon„tificiarum receptiones, 1. 2. ſeu alte„rius editionis.

„Breviſſima 5. propoſitionum in va„rios ſenſus diſtinctio, apertaque de iis „tum Calviniſtarum, tum Luthera no„rum, tum Pelagianorum & Moliniſta„rum, tum S. Auguſtini, ejuſque Diſ„cipulorum ſententia. Sive typis, ſive „ſcripto extet." Et ibidem infra hæc adduntur.

"Cæterum cùm tam Romæ quàm „alibi circumferantur quædam aſſerta „Acta, manuſcripta, & forſan typis ex„cuſa, Congregationum habitarum co„ram fel. recordat. Clemente VIII. ac „Paulo V. ſuper quæſtione de Auxiliis „divinæ gratiæ, tam ſub nomine Fran„ciſci Pegnæ olim Rotæ Romanæ De„cani, quàm Fratris Thomæ de Lemos „Ordinis Prædicatorum, aliorumve „Prælatorum & Theologorum, qui, ut „aſſeritur, prædictis interfuerunt Con-

„gre-

„ gregationibus, nec non quoddam au-
„ tographum sive exemplar cujusdam
„ assertæ Constitutionis ejusdem Pauli
„ V. super definitione prædictæ quæstio-
„ nis de Auxiliis, ac damnationis senten-
„ tiæ seu sententiarum Ludovici Moli-
„ næ Societatis Jesu: eadem Sanctitas
„ Sua præsenti hoc Decreto declarat ac
„ decernit prædictis assertis Actis tam
„ pro sententia Fratrum Ordinis S. Do-
„ minici, quàm Ludovici Molinæ alio-
„ rumque Societatis Jesu Religiosorum,
„ & autographo sive exemplari prædi-
„ ctæ assertæ Constitutionis Pauli V.
„ nullam omnino esse fidem adhibendam,
„ neque ab alterutra parte, seu à quocum-
„ que alio allegari posse, vel debere, sed
„ super quæstione prædicta, observanda
„ esse Decreta Pauli V. & Urbani VIII.
„ suorum Prædecessorum."

XXV. 2. Septembris 1656. Congregatio Generalis Cleri Gallicani Alexandro VII. inter alia scripsit. "Nos sanè
„ qui à Christo Domino in partem solli-
„ citudinis vocati sumus, ministerio no-
„ stro id egimus superioribus annis, apud
„ F. M. Innocentium X. ut Constitutio-
„ nem ederet qua motus in Galliis exci-
„ tati ob Jansenii Iprensis quondam E-

„piscopi doctrinam certis capitibus
„comprehensam, compescerentur. Pro-
„mulgatum à Gallicanis Episcopis De-
„cretum studiosè amplexi sunt fideles
„populi, demptis paucis, qui de Janse-
„nii doctrina nihil constitutum fuisse
„palam cùm simularent, intimis animo-
„rum sensibus ex illius damnatione ure-
„bantur. Horum cavillationes sine mo-
„ra comprimendas rati, judicio suo de-
„creverunt Religiosissimi Episcopi,
„quinque propositiones illas ad Janse-
„nium pertinere, ejusque opiniones fuis-
„se proscriptas. Quam suam sententiam
„cùm retulissent ad eundem Pontificem
„Maximum, illam humanissimis verbis
„non solum probavit, sed auctoritatis
„Apostolicæ pondere de integro con-
„firmavit ... præterea ut (*illi pauci præ-
„dicti*) à capitibus suis fulminis Aposto-
„lici amoliantur ictum (licet obfirmato
„animo, quinque propositiones Jansenio
„iterum abjudicent) ad facti quæstio-
„nem in qua Ecclesiam falli posse do-
„cent, controversiam deducere nitun-
„tur ..... *&* celeberrimum B. Augu-
„stini nomen obtendunt, cujus doctri-
„næ se profitentur esse sectatores, repu-
„diato etiam si res eorum ita ferant, ip-
„so Jansenio. Hujus tamen pravas &

„detortas, quas ad Doctoris egregii lo-„cos adhibet, interpretationes ample-„ctuntur."

XXVI. Eodem anno 1656 17. Kal. Nov. Emanavit Alexandri VII. Constitutio *Ad sacram*, in qua sic loquitur Pontifex: "Cum, sicut accepimus, nonnul-„li iniquitatis filii prædictas 5. Proposi-„tiones vel in libro ejusdem Cornelii „Jansenii non reperiri, sed fictè & pro „arbitrio compositas esse, vel non in „sensu ab eodem intento damnatas fuis-„se, asserere magno cum Christi fide-„lium scandalo non reformident. Nos „qui omnia quæ in hac re gesta sunt, „sufficienter & attentè perspeximus, „utpote qui ejusdem Innocentii Præde-„cessoris jussu, dum adhuc in minoribus „constituti, Cardinalis munere funge-„remur, omnibus illis congressibus in-„terfuimus, in quibus Apostolica au-„thoritate, eadem causa discussa est eâ „profectò diligentiâ, quâ major deside-„rari non posset; quamcumque dubita-„tionem super præmissis imposterum „auferre volentes, ut omnes Christi fi-„deles in ejusdem fidei unitate sese con-„tineant, ex debito Nostri Pastoralis „officii, ac matura deliberatione, præ-„insertam Innocentii prædecessoris no-

„ stri Constitutionem, declarationem & „ definitionem harum serie confirma„ mus, approbamus & innovamus, & „ 5. illas Propositiones ex libro præno„ minato Cornelii Jansenii Episcopi I„ prensis cui titulus est Augustinus, ex„ cerptas ac in sensu ab eodem Cornelio „ Jansenio intento damnatas fuisse defi„ nimus & declaramus, & uti tales, in„ ustâ scilicet eadem singulis notâ quæ „ in prædictis declaratione & definitio„ ne unicuique illarum sigillatim inuri„ tur, iterum damnamus, ac eundem li„ brum... damnamus itidem atque pro„ hibemus." Ita Alex. VII.

XXVII. Præterea sub eodem,

"Feria V. die 6. Septemb. 1657.

"In Congregatione Generali S. Ro„ manæ & Univ. Inquisitionis &c. ema„ navit sequens decretum. "Quia circum„ feruntur quædam folia impressa anno „ 1657. quorum titulus est, *Tredecim* „ *Theologorum ad examinandas 5. Propo*„ *sitiones ab Innocentio X. selectorum suf*„ *fragia, seu ut appellant, vota Summo* „ *Pontifici scripto tradita*, eadem Sancti„ tas Sua præsenti hoc Decreto illa pro„ hibet; & declarat ac decernit, iis tan„ quam apocryphis nullam fidem esse „ adhibendam, nec à quocumque alle-

„gari posse, vel debere." *Et infra.*
"Cum... in lucem procedant plures
„libri continentes & tractantes mate-
„riam de Auxiliis, nullâ prorsus petitâ,
„vel obtentâ licentiâ ab hac Sacra Con-
„gregatione, contra formam Decreto-
„rum Pauli V. & Urbani VIII. Præde-
„cessorum suorum (quæ quatenus opus
„sit, Sanctitas Sua denuo confirmat,
„innovat, & immobiliter observari
„mandat, sub censuris & pœnis in eis-
„dem contentis) ideo illis inhærendo,
„dictos libros editos, & in futurum quo-
„modolibet edendos, absque eo quod
„fiat de illis specialis mentio, ipso facto,
„absque alia declaratione, pro expressè
„prohibitis haberi voluit & decrevit."
Publicatum fuit antedictum Decre-
tum in Diœcesi Mechliniensi, mandan-
te D. Archiepiscopo, 18. Feb. 1660.
XXVIIII. Anno 1661. 1. Aug. idem
Alexander ad magnos Vicarios Cardina-
lis de Rets Archiepiscopi Parisiensis hoc
Breve misit. "Dilecti Filii salutem &
„Apostolicam benedictionem. Non si-
„ne magna profecto admiratione, justo
„animi dolore, quo paterna viscera
„commoveantur, publicatum vestro no-
„mine die 5. Junii Anni hujus, Edictum
„per-

„perlegimus. In quo sanè in primis non
„minus temeraria quam mendaci narra-
„tione profertur, tempore fel. recordat.
„Innocentii X. non aliud actum fuisse,
„quam inquisitum, an propositiones
„illæ quinque de gratia veræ & Catholi-
„cæ, an potius falsæ & hæreticæ cen-
„sendæ forent. Cum eo planè tempore
„nedum de propositionibus ipsis cogni-
„tio habita fuerit, *verum quod è Janse-
„nii libro Augustinus nuncupato extractæ
„essent*, & ita in sensu ab eodem Jansenio
„intellectæ damnatæ: ut nos ipsi Con-
„stitutione nostra 17. Kal. Nov. 1656.
„luculenter expresse declaravimus &c.

XXIX. 15. Kal. Martii 1664. idem Pontifex novam Constitutionem edidit in qua hæc inter alia præfatur: "Cornelii Jansenii hæresim in Galliis præsertim serpentem, ab Innocentio X. felicis recordationis Prædecessore Nostro fere oppressam, ad instar colubri tortuosi, cujus caput attritum est, in varios gyros & cavillationum defluxus euntem, singulari Constitutione ad hunc finem edita, altero assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus. Sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plene con-

„ſequi potuimus, ut omnes errantes in
„viam ſalutis redirent." Et infra ſic ait:
"Formulam infraſcriptam ab omnibus
„Eccleſiaſticis etiam Venerabilibus Fra-
„tribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſ-
„copis, necnon aliis quibuſcumque Ec-
„cleſiaſtici ordinis, tam Regularibus
„quam Sæcularibus, etiam Monialibus,
„Doctoribus & Licentiatis, aliiſque
„Collegiorum Rectoribus atque Ma-
„giſtris ſubſcribi diſtrictè mandamus
„&c.

"Formula à ſupradictis ſubſcribenda.

„Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ
„Innocentii X. datæ die 31. Maii 1653.
„& Conſtitutioni Alexandri VII. datæ
„16. Octobris 1656. Summorum Pon-
„tificum me ſubjicio, & quinque pro-
„poſitiones ex Cornelii Janſenii libro,
„cui nomen Auguſtinus, excerptas, &
„in ſenſu ab eodem Authore intento,
„prout illas per dictas Conſtitutiones
„Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero
„animo rejicio, ac damno, & ita juro:
„Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta
„Dei Evangelia"

XXX. Verum huic Formulæ ſim-
pliciter ſubſcribere renuerunt, præter
quoſdam alios, quatuor Epiſcopi, nimi-

rum Andegavènsis, Bellovacensis, Apamiensis, Aletensis, edicentes tamen se paratos esse subscribere distinguendo inter jus & factum; & illi fidem, huic reverentiam silentiumque præstando. Sed cum illa distinctio à Baronio, Bellarmino, aliisque usurpata, in nullo Pontificio aut Conciliari Canone adhibita reperiretur, noluit Pontifex illi authoritatem afferre: neque passus est ullam distinctionem aut explicationem apponi, sed simplicem subscriptionem à præfatis Episcopis exigere perrexit; quam tandem circa initium anni 1669. præstiterunt, licet prævie in suis Synodis antedictam juris & facti distinctionem adhibuerint. Quàpropter hoc Breve à Clemente IX. accipere meruerunt.

"Venerabiles Fratres salutem &c.

„Venerabilis Frater Archiepiscopus „Thebarum Nuntius istic noster misit „ad Nos elapsis diebus Fraternitatum „Vestrarum Epistolam, in qua cum „ingenti obsequii Nobis & huic S. Sedi „per vos debiti testatione significabatis, „vos juxta præscriptum Litterarum A„postolicarum à felicis record. Præde„cessoribus Nostris Innocentio X. & „Alexandro VII. emanatarum, *sincerè*

„*sub-*

„*ſubſcripſiſſe & ſubſcribi feciſſe Formula-*
„*rio* in ejuſdem Alexandri VII. litteris
„edito. Etſi autem quædam de hac re-
„ſecus circumlata, occaſionem Nobis
„præbuerant in tam gravi negotio ſeriùs
„procedendi: nam dictorum Præde-
„ceſſorum Noſtrorum Conſtitutioni-
„bus firmiſſimè inhærentes, *nullam cir-*
„*ca illud exceptionem aut reſtrictionem*
„*admiſſuri unquam fuiſſemus*; in præ-
„ſens tamen, cum nova & gravia iſtinc
„acceperimus documenta veræ & totalis
„obedientiæ veſtræ, qua & *Formulario*
„*ſincerè ſubſcripſiſtis*, & damnatis abſ-
„que ulla exceptione aut reſtrictione,
„5. propoſitionibus in omnibus ſenſi-
„bus in quibus à Sede Apoſtolica dam-
„natæ fuerunt, alieni prorſus eſtis à re-
„novandis in hac re erroribus illis, qui
„ab eadem damnati ſunt, tribuere vo-
„bis voluimus hoc paternæ benevolen-
„tiæ noſtræ argumentum &c."

XXXI. Pariter quoque tunc Arnaldus aliique Galli de Janſeniſmo infamati cum Clemente IX. Pontifice & cum Rege ſuo in gratiam redierunt. Sicuti etiam ſub idem tempus, communioni fidelium & Eccleſiæ Sacramentis reſtitutæ ſunt Moniales quæ propter recu-

ſatam Formularii ſubſcriptionem, illis per quadriennium deſtitutæ fuerant.

Cauſabantur autem (uti refert Scriptor Prologi Panegyreos *pag.* 46. & uti refertur in earum Apologiis) quod ad ipſas non pertineret Advocato in teſtem Deo aſſeverare libro Latino (quem intelligere non poterant) per Epiſcopum doctrina ac pietate eximium, & in communione Eccleſiæ Catholicæ vita functum conſcripto, ac doctiſſimorum virorum encomiis celebri, quinas capitales hæreſes eo ſenſu quem Latinus iſte Scriptor in mente ſua habuit, comprehendi. Addebant ſe inaudiviſſe quod res iſta inter eruditos, atque inter ipſos Epiſcopos controverteretur. Rogarunt ergo Pariſienſem Archiepiſcopum ſuum ut debitam Superioribus reverentiam teſtari poſſent ſubſcriptione hac: "Infraſcriptæ pollicemur in iis quæ fidem „attinent, ſubmiſſionem & aſſenſum „ſincerum, & quoad factum, quandoquidem nullum ejus per nos ipſas notitiam haurire valeamus, nullum formamus judicium: ſed nos continemus „in obſervantia & ſilentio, quæ ſtatui „noſtro ac conditioni conveniunt." Ita Scriptor antedictus.

Verùm

Verùm profectò satius fuisset has Virgines ab illis à quibus præcedentia acceperant, ad simplicem Decretorum S. Sedis obedientiam institutas fuisse, atque ab iisdem didicisse sequentia. I. Quòd in Apostolica Bulla, cujus executionem urgebat Archiepiscopus, Summus Pontifex disertè sic loqueretur: "Formulam infrascriptam ab omnibus „Ecclesiasticis etiam Venerabilibus „Fratribus nostris Archiepiscopis & E„piscopis, *necnon aliis quibuscumque Ec„clesiastici Ordinis*, tam Regularibus „quàm Secularibus, *etiam Monialibus*, „Doctoribus & Licentiatis, aliisque „Collegiorum Rectoribus atque Ma„gistris subscribi disertè mandamus." II. Quòd ad illud usque tempus, inauditum esset Formulæ fidei ab Apostolica Sede vel à Concilio præscriptæ quemquam permissum subscribere non simpliciter, sed cum distinctione (idem est de juramento, aut promissione, aut asseveratione, cujus interventu recipienda erat ejusmodi formula, aut Canon Ecclesiasticus) Et quòd pariter Ecclesia neutiquam juris & facti distinctionem adhibuerit in suis Canonibus concernentibus fidei dogmata simul & facta, ut vocant,

cant, etiam controversa: utì manifestum est legenti responsionem infrà positam ad 5. objectionem *de distinctione juris & facti.* III Quòd S. Sedes ex litteris Episcoporum suprà relatis & aliunde pridem intellexisset inter plures Eruditos esse controversum illud quod vocabant factum Jansenii: & meminisset se Libri Janseniani lecturam inhibuisse, abundeque sciret inter viros etiam Ecclesiasticos tam Seculares quàm Regulares in Bulla præfata memoratos, reperiri plurimos qui per se judicare non valerent an in Libro Jansenii, grandi & ad intelligendum operoso, continerentur 5. famosæ Propositiones, saltem quoad sensum (compertum enim erat non omnes ibi totidem præcisè verbis contineri) aut saltem qui per se sic certò judicare non valerent, ut juramento affirmare possent illas contineri. Et quòd nihilominus eadem S. Sedes dictam Formulam à quibuscumque Ecclesiastici Ordinis subscribi districtè mandaverit. IV. Quòd nullatenus verisimile sit Christum sic Ecclesiam deserere ut Fideles ejus innumeri per solemne Sedis Apostolicæ Decretum (Ecclesiæ Gallicanæ, cujus maximè intererat, expresso consensu,
alia-

aliarumque plurium Ecclesiarum consensu saltem tacito firmatum) pejerare cogerentur, &, velut ait dicti Prologi Scriptor *ib.* sese conjicere in apertum crimen tum mendacii perniciosissimi in re gravissima, tum calumniæ atrocis in excellentem Episcopum, tum profanationis Evangelii, ac temerationis Divini nominis.

Unde valde mirum est, quòd adhuc modò reperiatur Scriptor qui dictam formulam improbare audeat, & tanquam ad perjurium inducentem accusare, postquam illa præhabito examine valde maturo, & quidem utrâque parte informante, per moderni Pontificis Breve confirmata fuit, & Episcopis Belgii concessa: ac postquam eidem acquieverunt passim omnes illi qui antè restiterant. Ac proinde Scriptor ille jure merito de proprio judicio diffideret, Alexandrinæque Formulæ subscribere jussus, obediret, dicens Deo: Domine, si hæc subscriptio perjurium vel aliud peccatum est, à te pejerare vel aliter peccare jussi sumus. Hactenus de Gallia.

XXXII. Quod autem ad Belgium attinet: in illo, & signanter in Universitate Lovaniensi, quæ 5. Propositionum

num negotio non fuerat implicata, ſtatim ac planè reverenter ſuſceptæ fuerunt Innocentii X. & Alexandri VII. Conſtitutiones, reſpectivè datæ pridie Kal. Junii 1653. & 17. Kal. Nov. 1656. Deinde Facultas Theologica anno 1660 approbante Alexandro VII. præfato, omnibus gradum aliquem ſuſcepturis præſcripſit hanc Formulam: "Jurabis „te quinque articulos per Conſtitutio„nes Summorum Pontificum Innocen„tii X. & Alexandri VII. damnatos „damnare, iiſdemque Conſtitutionibus „religioſam obſervantiam præſtare." Hocque juramentum in hodiernum uſque diem viget: aiunt Theologi Belgæ ſuprà dicti, in *Confutatione Libelli Hiſpanicè editi hoc titulo, Memorial al Rey* &c.

XXXIII. Cœpit autem præterea anno 1692. in Belgium introduci ſupradictum Alexandri VII. Formularium, & quidem cum hac explicatione. "Inten„tio Illuſtriſſimi D. conformis intentio„ni Summorum Pontificum eſt. 1. Ut „non tantum jures in reverentiam Con„ſtitutionum de quibus agitur in præ„dicta Formula, ſed etiam in veritatem „earum. 2. Ut non tantum jures in ve-

„ritatem

„ritatem eorum quæ in prædictis Con-
„stitutionibus spectant ad quæstionem
„Juris, sed etiam in veritatem ejus, quod,
„ut loquuntur, spectat ad quæstionem
„facti ab Alexandro VII. definiti: hoc
„est, ut non solum jures te damnare
„quinque famosas propositiones in om-
„ni sensu hæretico quem habent; sed
„jures etiam te serio & sincerè illas dam-
„nare ut excerptas ex libro, cui titulus:
„Augustinus Cornelii Jansenii Iprensis,
„& in sensu à Jansenio intento, seu in
„prædicto ejus libro expresso."

Sed aliquibus Alexandrinæ Formulæ, præsertim cum addita explicatione, simpliciter subscribere recusantibus, varia provenere dissidia: quæ cùm Innocentio XII. per Deputatos utriusque partis exposita fuissent, scripsit idem Pontifex Episcopis Breve datum 6. Feb. 1694. in quo dictis Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. confirmatis, habentur sequentia:"Præcipimus ut quem-
"admodum ii qui ad juramentum adi-
"gendi sunt, illud præstare debent sin-
"cerè absque ulla distinctione, restrictio-
"ne, seu expositione, damnando eas
"propositiones ex libro Jansenii excerp-
"tas in sensu obvio quem ipsamet propo-

"ſitionum verba præ ſe ferunt, prout
"ſenſum illum damnarunt Summi Pon-
"tifices Prædeceſſores noſtri, damna-
"tumque haberi voluerunt à Chriſti fi-
"delibus; ita per Fraternitates veſtras
"ab iis qui Formulario præſcripto ſub-
"ſcribent ac juramentum præſtabunt,
"præter formulam iſtam traditam, ver-
"baque in Conſtitutione Apoſtolica
"præſcripta, quidquid aliud vel mini-
"mum declarationis, interpretationis,
"aut explicationis verbo vel ſcripto exi-
"gatur, etiam ſub prætextu quod addi-
"tiones ad Nos tranſmiſſæ comprehen-
"dantur ſeu contineantur in Formula-
"rio Alexandri VII. Cæterum ad præ-
"cavendum omnes diſſidiorum cauſas,
"quæ Chriſtianam pacem dilacerant,
"Nos quoſcumque alios ſenſus Formu-
"larii præter eum, quem ipſius verba
"exhibent, afferri vel uſurpari, aut de
"his diſputari interdiximus & prohibui-
"mus, ac ſuper ejuſdem Formularii in-
"terpretatione, ſicut & prædictarum
"propoſitionum in alios ſenſus præter
"eum quem ipſa verba per ſe exhibent,
"perpetuum ſilentium impoſuimus, ut
"ex noſtris Decretis tam ſuper ipſo ſi-
"lentio, quàm ſuper prohibitione om-
"nium

"nium librorum editorum & edendo-"rum in hac materia plenius innotescet.. "Demum ... injungimus ne ullâ ratione "quemquam vagâ istâ accusatione & in-"vidioso nomine Jansenismi traduci aut "nuncupari sinatis, nisi prius suspectum "esse legitimè constiterit, aliquam ex "his propositionibus docuisse aut tenuis-"se, nec quemquam sub hoc prætextu "repelli ab officiis, muniis, beneficiis, "gradibus, ac concionibus habendis, "vel alia quacumque functione Ecclesia-"stica permittatis, nisi servato juris or-"dine, eam pœnam, quæ viris alioquin "Catholicis gravissima est, commeruisse "probatum fuerit."

XXXIV. Anno 1696. 24. Novembris, dictus Innocentius XII. iisdem Episcopis misit alterum Breve, quod sic sonat. "Litteras quas 19. Julii ad Nos "dedistis, libenti animo accepimus, cum "in illis vestras ad hanc S. Sedem præ-"ces intellexerimus, quibus nostrum ju-"dicium pro sana doctrina vestris in "Diœcesibus regulanda postulatis. Ex "iisdem autem litteris apertè deprehen-"dimus mala quæ quoad Jansenismum "exponitis, non procedere ex eo quod "Brevi à Nobis 6. Feb. anni 1694. ad

" Vos dato, satis ipsis non sit consultum:
" sed potius quia idem Breve executioni
" fortasse, uti par esset, non mandetur,
" cum illud nulla prorsus indigeat expli-
" catione: aptumque sit, ubi in ipso præ-
" scripta adimpleantur, efficax atque op-
" portunum afferre remedium. Quod si
" prætensi Jansenistæ internè & absque
" eo quod deveniant ad ullum actum ex-
" ternum, dum jurant Formularium,
" non aliter damnent quinque Proposi-
" tiones, quam in sensu obvio, non habi-
" to respectu obvii sensus dicti Formula-
" rii suoque arbitrio effingant ejusmo-
" di sensum obvium, Ecclesia non ju-
" dicat de occultis, quæ soli Deo
" cordium scrutatori innotescunt. Sin
" verò iidem prætensi Jansenistæ vo-
" ce aut scriptis edant proprios sensus
" Apostolicarum Constitutionum præ-
" dictique Brevis sensui dissentaneos, de-
" bent Episcopi, prout de jure, contra
" eos procedere, non tantum authorita-
" te ordinaria, sed etiam speciali facul-
" tate ipsis indulta à Constitutionibus
" Prædecessorum Nostrorum fel. record.
" Innocentii X. & Alexandri VII. quas
" Nos quoque confirmavimus, ita ut
" servatis servandis, congruè puniantur,
" cum

„ cum ea omnia facilè probari poſſint, „quia agitur de actibus externis.

"Non ſine admiratione intelleximus, „nonnullos iſtis in Diœceſibus reperiri, „qui verbis & calamo auſi fuerint affir-„mare, ſupradicto Noſtro Brevi altera-„tam ſeu reformatam eſſe Conſtitutio-„nem Alexandri VII. 16. Oct. anni „1656. editam, necnon Formularium „ab ipſomet pronuntiatum, cum dicto „Brevi utrumque ſpecificè, & omnino „intenderimus & intendamus iiſdem ad-„adhærere, & nequaquam ſinere ut ali-„quid addatur vel dematur à prædicto „Formulario, illud quovis modo alte-„rando in aliqua ejus minima parte, ſed „quod in omnibus & ſingulis ejus par-„tibus uti mandavimus, mandamus e-„tiam ad amuſſim obſervari."

Itaque obſerventur accuratè præfata duo Brevia, maximèque prius: & quoad Janſeniſmum, authore Innocentio XII. pax erit. Amen.

Finis Hiſtoriæ.

Sex



Sex reliquæ Objectiones, earumque ſolutiones.

OBJECTIO PRIMA.

Cauſæ Propoſitionum quinque famoſarum præfectus fuit Albizius, à Doctoribus Auguſtinianis multum abalienatus, Jeſuitiſque prorſus addictus: & ipſo procurante, inter 13. Conſultores non pauci fuêre Moliniſtæ, imo unus Jeſuita: remotis à Congregatione nonnullis, quibus de jure competebat intereſſe.

RESPONSIO.

IN cauſa 5. Propoſitionum à Pontifice inſtituta erat Congregatio quinque Cardinalium, velut ante narratum eſt ex Santamoreo, *p.* 5. *c.* 1. Inter quos ſi Cardinalis S. Clementis Dominicanus, non fuerit aſſumptus, pariter aſſumptus non fuit Cardinalis De Lugo Jeſuita, qui pariter unus erat è ſupremis Inquiſitoribus. Sant. *p.* 3. *c* 3. Quia verò Cardinalis Chiſius magnam in eadem cauſa partem habuiſſe noſcitur, & in

Pro-

Prologo Panegyreos *pag.* 38. comprobatur, idcirco qualis fuerit, ex Santamoreo hic præmittendum eſt. Imprimis itaque *p.* 4. *c.* 4. teſtatur Author ille quod Chiſii & quorundam aliorum Cardinalium, merita unanimi omnium ore prædicarentur Romæ. Deinde *c.* 5. eundem laudat à pietate & modeſtia congruentibus ſpiritui B. Saleſii, cujus effigiem unà cum effigie S. Auguſtini (quem ſingulariter æſtimabat & venerabatur, & quidem ab infantia veneratus erat, *ibid. & c.* 7.) ſemper in pectore gerebat. Præterea idem Santamoreus dicto *c.* 5. Chiſium laudat ab Epiſtola quam exiſtens in Germania Nuntius ſcripſerat in favorem libri Arnaldini de Frequenti communione. Additur ibidem *c.* 7. quod jam dictus Cardinalis integrum Auguſtinum Janſenii legiſſet. Denique *ibid. c.* 11. multum extollit Santamoreus ejus eruditionem, æquitatem, atque benignitatem.

Hic ergo Cardinalis Santamoreo *p.* 5. *c.* 2. narrabat ſibi dixiſſe Pontificem, quod quidem Albizius aliquando duriores & fervidiores ſermones haberet, ſed quod nihilominus dum aliquid agendum erat, illud conſideraret non ſemel. Cumque

que aliàs Santamoreus C. Chiſio ſignificaſſet ſe ſuſpicari quod Albizius Pontifici author fuiſſet, ut materia de Auxiliis intacta relinqueretur; reſpondit Cardinalis ſubiratus: " Ecce quomodo u-" num Albizium ſemper appellant: ſi-" mili modo Doctores Flandri conten-" debant Albizium Urbani VIII. Bul-" lam adulteraſſe: quam tamen ego (in-" quiebat idem Cardinalis) Datoribus " iſtis adulteratam non eſſe monſtravi." *p.* 6. *c.* 7.

Sed eo non obſtante, imo non obſtante Decreto anni 1664. quo prætenſas Bullæ jam dictæ falſitates, puta de inſerto nomine Janſenii & appoſitâ virgula ſeu commate, Sedes Apoſtolica rejecit, non deſiit idcirco Albizius Santamoreo aliiſque ſuſpectus eſſe & inviſus. Neque ipſe profectò timere videbatur illorum offenſam, cùm Santamoreo *p.* 3. *c.* 13. diceret hæc verba: " Conveniret " paucos illos Epiſcopos veſtros, voſque " eorum Legatos, obedire Bullis Apo-" ſtolicis, & tranquillè vivere." Uti neque timere videbatur, cùm Santamoreo reſpondenti ſe non audiviſſe nec legiſſe unquam quod Epiſcopi Galli defuiſſent ullatenus ſuo in S. Sedem officio, replicuit

cuit in Gallia quotidie S. Sedem impeti, & in Regno isto continuam fieri mentionem libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, quibus authoritas Apostolica violaretur: præterea quemdam *à Marca* composuisse librum grandem, impertinentem, & pessimum inter omnes illos qui multis retro annis in notitiam venerant: Attamen Authorem istum palinodiam cecinisse, sicque creatum esse Episcopum. Hæc Albizius loco citato. Quapropter etiam dicti Legati eundem Albizium, tanquam ipsis valde suspectum, ab officio Secretarii Congregationis exercendo removere conati sunt. Sed dum illum sic recusarent, pariterque quosdam Consultores, nempe P. Palavicinum Jesuitam, & P. Modestum Franciscanum, quem tanquam Approbatorem libelli Jesuitici in doctrinam & authoritatem Augustinianam injurii apud Pontificem accusaverant; dumque contenderent nullatenus convenire quod ullus istorum in causa 5. Propositionum Judex esset; respondit Cardinalis Spada (ait. Sant. *p.6.c.2.*) quod si istos recusare vellemus, adversarii nostri quosdam alios recusare possent. Quod isti Theologi non haberent votum decisivum, & quod dumta-

xat audirentur differentes, ficuti nos audiendi eramus. Quòd tametsi Cardinalibus adjuncti forent aliqui Prælati, non haberent etiam hi votum decisivum: sed quòd auditis horum & illorum opinionibus, suis Eminentiis incumberet omnia ponderare, & Suæ Sanctitati referre, ut juxta æquitatem, veritatem, & S. Sedis obligationem, necessitatibus Ecclesiæ provideretur. Quantum ad Secretarium (Albizium) quòd ejus functio foret exigua & parvi momenti in Congregatione: & quòd ipse in ea nihil posset, ibique nihil aliud ageret, quàm quòd, postquam Theologi per horam, hic amplius ille minus, disseruissent, & jam concluderent dicentes, *Sum igitur in voto*, tunc scriberet illa verba quæ sibi per Theologum dictabantur, & quæ pariter scribebantur ab aliis qui diligentiam illam adhibere volebant. Hæc C. Spada. Similiter Cardinalis Roma Santamoreo, *p.* 3. *c* 6. dixit, Albizium non admodùm posse: Item *p.* 5 *c.* 3. Consultores non esse Judices, & eorum opiniones non esse decisivas. Et ipse Santamoreus *p.* 6. *c.* 5. disertè affirmat quòd omnes Consultores nullum aliud suffragium haberent quàm consultivum. Quo dato, cessant

ſant querimoniæ de quibuſdam Conſultoribus, uti prætenſis *Judicibus* ſuſpectis: præſertim cùm è Conſultorum numero forent etiam alii Adverſariis ſuſpecti, ex. g. Generalis Auguſtinianorum, qui cum P. Averſa Conſultoribus adjunctus erat, licet eorum neuter fuiſſet è numero Qualificatorum S Officii, *Sant. p. 6. c. 5.* & licet Generalis potuiſſet eſſe ſuſpectus ob Memoriale quod Pontifici offerre decreverat, & quod apud Santamoreum ibidem extat; cùmque, veluti C. Spada Santamoreo memorabat *p. 6. c. 12.* aſſumpti forent duo Dominicani adversùs unum Jeſuitam. Quod autem in Prologo Panegyreos *pag. 30.* dicitur duos alios Dominicanos priorum Socios, nec non Hilarionem Abbatem, P. Ubaldinum Generalem Sommaſquorum, aliosque nonnullos, Albizii potentiâ, contra jus ipſis competens, excluſos, & alios intruſos fuiſſe; refellitur authoritate Cardinalis Chiſii. Cùm enim Santamoreus *p. 5. c. 2.* Conſultorum electionem & mutationem, Albizii ſuggeſtionibus potiſſimùm adſcribendas eſſe ſuſpicatus, diceret ſe vereri ne Albizius quoſcumque Jeſuiticis opinionibus addictos induceret, &

quoſcumque faventes S. Auguſtini doctrinæ removeret; reſpondit C. Chiſius, inprimis quòd S. Auguſtini doctrina ab omni periculo abeſſet: deinde dixit Conſultores per ipſum Papam eligi, qui licet hodie hunc & die ſequenti alium aſſumeret, rem faceret à ſuo beneplacito pendentem. Ita Chiſius. Accedit quòd ipſe Santamoreus *p*. 6. *c*. 5. non obſcurè ſignificet, quòd Hilarion Abbas, & P. Ubaldinus Congregationi intereſſe noluerint: & Paulus Irenæus *diſq*. 5. *a*. 5. referat, quòd Ubaldinus ſe à Conſultorum numero ſubduxerit, nihil ſuper ea re à Pontifice decretum iri arbitratus, ideoque inutilem contentionis invidiam fugiens. Quod verò idem P. Irenæus Patrem Tartaglia, & P. Cæleſtinum Brunum in duorum præfatorum locum ſuffectos, aſſerit, fuiſſe Moliniſtis obnoxios, refellitur ex ſequentibus. Etenim quàm parum Jeſuiticis ſeu Moliniſticis ſententiis addicti forent Conſultores, & inter illos duo poſtremi, intelligi poteſt ex Animadverſionibus illis quas tamquam à quodam Thomiſta ad vota 13. Conſultorum appoſitas edidit Santamoreus in Collectaneis *pag*. 173. & *ſeqq*. & quas diſertè approbat Author

Libri

Libri cui titulus, *Défense de l'Eglise Romaine* &c. *pag* 432. Nam iste Thomista, qui se Molinistis penitus adversari, non sic Jansenio, profitetur, quique in præfatione disertè contendit de Jansenii sensu neutiquam Romæ judicatum esse; iste, inquam, Thomista in eadem præfatione sic notat: "Consultores penè „omnes doctrinam de Gratia per se effi- „caci, quæ maximè nostræ Scholæ „propria est, omnibus locis catholicam, „orthodoxam, veram esse pro fitentur." Et infrà: "Quicumque Consultores illas „5. Propositiones ad gratiam efficacem „pertinere putarunt, etiam catholicas „pronuntiarunt. Quicumque autem de- „clararunt hæreticas, etiam à gratia ef- „ficaci lato discrimine sejunxerunt."

Et certè si libeat considerare 13. Consultorum vota à Santamoreo producta super 1. Propositione, invenientur sequentia, uti notat idem Thomista. P. M. A. Carpinetus Procurator Generalis Capucinorum longè à sensu Molinistarum abhorruit. P. Delbene Clericus Regularis non minus perspicuè alienus fuit à Molina. P. Augustini M. à Cremona ordinis Servorum sententiam nihil officere Thomistis palam est. Pa-

ter Lucas Waddingus Ordinis strictioris observantiæ, licet propositionem in aliquo sensu damnet; in duobus tamen aliis sensibus, quorum unum Jansenii esse putat, illam absolvit. Patris D. Campanellæ Ordinis Carmelitarum votum, quia obscurius est, nec prodest nec obest ulli. Patris Modesti à Ferraria, Procuratoris Gen. Ordinis Min. Conv. sententiam probat dictus Thomista. De P. Raphaele Aversa Ord. Cler. Min. sic notat: & hic rigorosum verborum sensum attendit, quem hæreticum esse inter omnes constat. De P. Vincentio de Pretis Dominicano, Commissario Generali S. Officii, sic ait: hujus votum à Molina alienum non negabunt ipsi Molinistæ. De P. Philippo Visconti, Generali Augustinianorum, dicit se non invenire quomodo Molinistas eximere possit ab ejus censura. P. Vincentius Candidus Dominicanus, Magister Sacri Palatii dicit propositionem non mereri censuram: quia nimirum putavit illam in sensu gratiæ efficacis accipi posse, ait Thomista. P. Tartaglia Carmelita discalceatus censuit Propositionem in aliquo sensu minus proprio posse sustineri, id est (ait idem) in sensu gratiæ efficacis.

cacis. De P. Cæleſtino Bruno Ordinis S. Aug. dicit idem Thomiſta conſtare ex ſequentibus votis ipſum gratiæ efficacis patronum fuiſſe. Denique P. Palavicinus Jeſuita illam propoſitionem in tali ſenſu intelligit, in quo clarum eſt meritò damnari. Hæc omnia ex animadverſionibus dicti Thomiſtæ ad primam propoſitionem: qui inſuper in quadam animadverſione ad ſecundam propoſitionem, P. Palavicinum vocat Molinæ Diſcipulum moderatiſſimum.

OBJECTIO II.

Neque partes coram ſe mutuo auditæ, neque Scripturæ communicatæ fuerunt: quorum tamen neutrum, juxta juris præſcriptum Eccleſiæque conſuetudinem, omitti potuit, ſaltem pluribus Epiſcopis utrumque vehementer urgentibus ob materiæ gravitatem ſubreptioniſque periculum quod ſuberat dum ſæculi Poteſtates contra Janſenium conſpirarent, dumque Romæ calumniis plurimis onerarentur ejus prætenſi defenſores.

RESPONSIO.

SI Albizium nolebant auſcultare verè dicentem, *p.* 3. *c.* 3. & 7. quod in cauſa

ſa 5. Propoſitionum nullæ partes audiendæ forent, cum in illa de dogmatibus & non de perſonis ageretur; ſaltem plures Cardinales, ipſumque Pontificem Maximum audire debuiſſent. Siquidem Card. Barberinus ipſos admonuit quod nullus in particulari foret implicatus iſti negotio: quod lis non eſſet: & quod S. Sedes in eodem negotio pronuntiare poſſet nemine audito: apud Sant. *p.* 3. *c.* 5. Pariter Cardinalis Spada 1. anni 1653. reſpondit, quantum ad communicationem ſcripturarum, non ſolere Romæ res ejuſmodi tractari in judicio contradictorio, neque in Congregatione S. Officii, neque in Congregatione Indicis, poſt Concilium Trid. inſtituta: inſpici libros, ſed Authores non audiri contradictoriè: aliàs negotia fore ſine fine protrahenda: illud etiam non fuiſſe obſervatum ſub Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. imo nec ſub ipſo Innocentio X. in cauſa duorum capitum. Sant. *p.* 6. *c.* 1. Deinde *ib. c.* 2. dicebat præfatus Cardinalis, quod quidem ſub Clemente VIII. & Paulo V. iſtud fuiſſet obſervatum: ſed quod in præſenti nollent controverſias tunc agitatas innovare: quodque dumtaxat ageretur

retur de qualificandis 5. propositionibus secundum se suosque terminos spectatis: & quod hoc fieri posset per solam discussionem propositionum secundùm se, omissâ illarum historiâ, nullisque partibus contradictoriè auditis. Addebat idem Cardinalis *p. 6. c.* 1. tam multa in ista materia utrimque esse edita; ut nihil eorum quæ dicenda forent, ignorari posset: Quinimo quod illa quæ tunc ab ipsis exararentur, tam multis Consultoribus, amanuensibus, aliisque tradenda forent, ut fieri non posset quin ad mutuas manus devenirent, & consequenter quin daretur ansa respondendi. Hactenus Cardinalis Spada: & rectè, etiam istud ultimum: nam ipse Santamoreus variis locis fatetur Hallerii sociorumque ejus scripta ad se pervenisse: atque in primis hoc fatetur *p. 6. c. 1. pag.* 361. Iterum *ib. c.* 5. *pag.* 383 idem fatetur de alio novo eorundem scripto, in quo 5. propositiones Jansenio tribuebantur, & loca citabantur. *Pag.* 384. iterum aliud eorundem Scriptum præcedenti prolixius ad se pervenisse fatetur. *Pag.* 417. idem fatetur de tribus aliis eorundem Scriptis. *Pag.* 432. iterum de quodam Memoriali, & alio novo Scripto eorundem. Præterea

Summus Pontifex eosdem sæpius pariter admonuit: semper supponitis, aiebat Santamoreo ejusque sociis *p. 6. c. 18.* vos habere Adversarios quos expugnare debeatis: non est ita. Neque Doctores alii qui pro obtinenda nostra decisione Romam advenere, se dicunt vestras esse partes. *Et ibidem infra.* Non opus est vos in disputationem venire cum illis quos partes vestras appellatis: non agitur de instituenda lite, sed solummodo de qualificandis propositionibus... Si collationem, qualem petitis, fieri juberem, disputationes in infinitum protraherentur, Theologis huc undequaque convolantibus: volo autem hoc negotium citò & sine tanto strepitu terminare... nihilominus offero vos audire sine parte & sine disputatione, Scriptaque vestra recipere. Hactenus Pontifex. Cujus oblationem illi tandem paucis post diebus acceptârunt, *p. 6. c. 19.* tradideruntque postea quædam Scripta super unaquaque propositionum. Quod cùm huc usque facere renuissent, aliqui Consultorum mirari cœperant cur non ab ipsis quemadmodum ab aliis informarentur, *p. 5. c. 16.* Nunquam verò probatum est aut probari poterit, quod Oratores isti juxta

ta juris præſcriptum audiri debuiſſent velut audiri poſtulabant. Attamen (inſtat Author Prologi Panegyreos *pag.* 69.) clamant jura omnia Divina & humana *non oportere quemquam damnari priuſquam locum defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Marcel. ep. 2. Damaſ. ep. 6. Julius ep. 2. c. 31. quia quamvis vera ſint, non tamen credenda, niſi quæ manifeſtis indiciis comprobantur, niſi quæ manifeſto judicio convincuntur, niſi quæ judiciario ordine publicantur. Jul. *ep.* 2. *c.* 19. Victor *ep.* 1. Xiſtus II. *ep.* 2.

Sed, omiſsâ controverſiâ de fide harum epiſtolarum, manifeſtum eſt ea quæ ex ipſis citantur, ad propoſitum non pertinere, in quo nimirum non de perſonarum, prout in verbis illis *quemquam damnari* &c. ſed dumtaxat de doctrinarum, propoſitionum aut librorum damnatione aut judicio agitur. Non enim actum eſt Romæ de damnanda aut judicanda perſona Janſenii: ſed tantùm an liber ille qui Janſenium Authorem præferebat, & qui poſt obitum ejuſdem Epiſcopi ab aſſertis executoribus ejus ex teſtamento, in lucem editus erat, permittendus eſſet, necne? An errores contineret, necne? An 5. propoſitiones in-

de extractæ, & an damnandæ forent, necne? Hæc autem judicari non posse nisi partibus auditis, & quidem contradictoriè, nec allegata jura probant, nec alleganda probabunt. Unde etiam illud quod ex S. Bernardo *lib. 2. de Consid. cap. ult.* in Ep. Provinciali 18. & in Prologo Panegyreos *pag.* 32. affertur, evidenter intelligitur de judicio personarum: & idem est de eo quod in eodem Prologo allegatur ex *cap.* 16. Libri Esther.

Neque dictis adversatur quod Alexander VII. in sua Bulla *Regiminis Apostolici* dixerit, *Cornelii Jansenii hæresim in Galliis præsertim serpentem*: nam proculdubio illud intellexit de hæresi 5. propositionum, quas è libro Jansenii excerptas fuisse definiverat: non verò de propriè dicta hæresi personæ Jansenii: quippe qui, tum sui libri tum ipso 80. Episcoporum 5. propositiones Romano Pontifici ad censuram offerentium testimonio, morti proximus opus suum Pontificiæ sententiæ submiserat.

Fuerat quoque Jansenii persona Romanis olim ob illustres pro Ecclesia labores exantlatos ita pretiosa, ait ex Sant. *p.* 5. *c.* 13. Scriptor Panegyreos, ut nominatio ejus ad Iprensem Episcopatum

cum

cum jubilo exciperetur, & Bullarum expeditio ingenti plausu & gratis fieret: &, ut posterior alibi affirmat, "fuerat „Jansenius de summis & imis, de Rege, „de Republica, de Academia Lovani- „ensi, de universa Ecclesia, ac præser- „tim particulari Romana (quod Spon- „gia Notarum manifestat) tam eximiè „bene meritus," ut profectò inde colligere liceat quod non facilè, & non sine prægnanti ratione, potuerint quidam ejus adversarii quidquam adversus illum aut ejus librum impetrare. Proinde non facilè etiam credendum est illud quod Prologi *pag.* 32. narrat idem, nixus testimonio Santamorei affirmantis se sic ab aliquo accepisse, nimirum "quod „Imperator, Reges Hispaniæ, Galliæ „& Poloniæ ab adversariis excitati, per „litteras à Pontifice Maximo flagita- „rent disertam condemnationem 5. Pro- „positionum, veluti turbas & dissidia „ingentia in suis ditionibus invehen- „tium." Hoc, inquam, non facilè credendum est; præsertim cum eatenus in Gallia fere sola turbas excitavissent quinque propositiones: & tamen Rex Galliæ (tametsi fortè per *Martem Gallicum* non parum offensus esset vel saltem

offensus

offensus fuisset ille qui Regni Gallici, sub *Ministri* titulo, fraena moderabatur, ut affirmat dictus Author Prologi Panegyreos *pag.* 11) referente Santamoreo *p.* 5. *c.* 14. neutri parti favebat, & nihil aliud cupiebat, quam ut negotium cito terminaretur: quod etiam se suosque cupivisse idem Santamoreus ibidem affirmat. Deinde si quis dictorum Principum modo praefato scripsisset, Legatus ejus Romae residens causam Adversariorum Santamorei promovisset, & hoc ipse non aegrè deprehendisset, nec in suo Diario praetermisisset annotare. Sed nec ipsi Jesuitae Doctoribus antedictis, quantum poterant, adversati fuisse videntur, quandoquidem Santamoreus *p.* 6 *c.* 1. testetur Cardinalem Spada in Fide Sacerdotali, manu pectori apposita, Abbati Lalanio & sibi 1. anni 1653. asseruisse, quod ex quo res ista agitari coeperat, nullus Jesuitarum ipsi locutus esset, demptis iis quae super eadem re P. Palavicinus palam in Congregatione dixerat. Caeterum dato quod Jesuitae Doctoribus antedictis plurimum adversarentur, ipsi equidem alios multos, praesertim Gratiae per se efficacis defensores, habebant amicos & adjutores, è

quorum

quorum numero erat quidam Dominicanus Eruditissimus, Cardinali Romæ maximè familiaris, qui pro secreta ejusdem Cardinalis informatione, conficiebat quædam scripta quorum exemplar absque mora Santamoreo clam tradebat, & postmodum eidem significabat quantum Cardinali persuasisset. Sant. *p.* 5. *c.* 9. Unde etiam, ut ait Sant. *p.* 5. *c.* 4. Hallerius & Socii ejus multis Romæ locis audiebant tamquam qui exitium Augustinianæ doctrinæ molirentur. Et, inquit idem Sant. *p.* 6. *c.* 28. Romæ maximus erat eorum numerus qui nos causamque nostram diligebant.

Ex quo etiam sequitur quod si quæ calumniæ in ipsos jacerentur, non facilè susciperentur; aut irritus redderetur earum conatus: cum insuper ipsi ad omnia attenti forent, neque cessarent scripto vel voce rogare omnes, ne se calumniantibus aures præberent; & profiterentur Romani quod super accusationibus personalibus audiendæ forent personæ accusatæ. Quinimo cum (uti refert Santamoreus *p.* 4. *cap.* 11.) Abbas Lalanius eodem Santamoreo & tertio Socio stipatus, validè confutavisset coram Cardinali Chisio (sicuti antea coram Cardinali Spada confutarat)

notabiliores accusationes, quibus Hallerius & ejus Collegæ præfatum Abbatem ejusque Socios tamquam S. Sedis hostes traducere putabantur; dictus C. Chisius à nobis (ait Sant. *ib.*) quæsivit ubinam Hallerius ista de quibus querebamur, dixisset: nam (aiebat idem Cardinalis, teste Sant. *ib.*) quod ad me attinet, nullatenus istorum memini: & accusationes hujusmodi, aurium unam intrant, & per alteram egrediuntur. Hæc ibi. Unde quod Santamoreus ex litteris cujusdam amici ad ipsum in Gallias redeuntem, 12. Julii 1653. id est uno mense & amplius post Innocentii X. Constitutionem datis refert, & similiter Author Panegyreos *pag.* 39. videlicet Hallerium à prædicto Cardinali ejusque nonnullis familiaribus peramanter acceptum fuisse, parvi momenti est: nam inprimis istarum litterarum Scriptoris testimonium non magnâ fide dignum est, cùm ipse ibidem optet ut Episcopi Doctoresque Galli adeò generosi forent ut istam in materia fidei Constitutionem non reciperent, utpote non unà cum Clero Romano sancitam, sed cum tribus quatuorve Cardinalibus, talique Congregatione qualis adhibita noscitur,
ex-

expeditam: cùmque ibidem addat Cardinalem Chisium eidem Constitutioni sedulam suam operam præstando, veritati plurimùm obfuisse: denique cùm, velut ibidem narrat, expedire judicaverit, ut die præcedenti Cardinalis Barberini patrocinium imploraret adversùs Pœnitentiarios Ecclesiæ S Petri comminantes ipsum utì Constitutionis violatorem in S. Officii custodiam conjiciendum curare. Deinde hoc omisso, compertum est, quòd C. Chisius juxta B. Salesii, quem insigniter æmulabatur, spiritum, mitissimus fuerit, prout etiam illum appellat Paulus Irenæus *disq.* 5. *a.* 13. quòdque, teste Santamoreo *p.* 4. *c.* 11. valde benignus fuerit erga omnes. Ideoque dum iste Doctor, Jesuitarum hortum curiositatis causâ ingressus, in illo Chisium in medio duorum Patrum ambulantem invenisset, de ea re minimè laboravit, neque suspicionem ullam sinistram concepit, cùm ejus eruditionem, æquitatem, atque benignitatem in omnes exploratam haberet, utì testatur dictus Santamoreus *p.* 4. *c.* 11. qui etiam refert ibidem, quòd dictus Cardinalis familiariter ab ipso quosdam libros eleganti modo Gallico compactos sibi procu-

rari peteret: & qui *p. 6. c.* 1. narrat, Lalanio & sibi dixisse Cardinalem istum; quòd Hallerii Scripta forent admodùm *de communi*, & quod valde parum Congregationi profuissent. Quod autem attinet ad testimonium Patris Tartagliæ, ex Santamoreo *p. 7. c.* 2. seu potiùs ex præfatarum litterarum Scriptore, prologi Panegyreos *pag.* 38. prolatum; libenter agnoscimus Chisium (sicut ipse postmodum Alexander VII. existens non obscurè significavit) in causa 5. Propositionum magnam partem habuisse. Verumtamen non Chisius Bullam concinnavit, sed ipse Innocentius illam Chisio dictavit, teste Episcopo Leodiensi, apud Santamoreum in secunda additione ad Diarium: cui ex ore Pontificis ita se accepisse testanti major profectò fides debetur, quàm supradicto litterarum Scriptori, qui ex solo nescio cujus relatu testatur, quòd Pater Tartaglia Chisium tamquam Bullæ conditorem, ipsamque Bullam supra modum laudaverit.

OBJECTIO III.

Liquet è testimoniis Commissarii S. Officii & Lucæ Waddingi, quin & Cardinalium Spada & Cechini, quòd non fuerit authoritate Apostolicâ examinatum, an 5. Propositiones in Libro Jansenii reperirentur, necne?

RESPONSIO.

OBjicitur itaque primò, quòd Vincentius de Pretis Commissarius S. Officii in suffragio suo dixerit, primam Propositionem fuisse propositam in abstracto, ut præscindit ab omni proferente. Et similiter L. Waddingus in *Relatione Brevi* testari dicitur, in prima Congregatione habita 24. Sept. 1652. conclusum fuisse, ut singulæ Propositiones per se examinarentur, & qualificarentur in abstracto, sicut jacent, absque ullo respectu ad Authorem. Insuper, uti refert Santamoreus *p.* 5. *c.* 11. cùm Lalanius & Santamoreus ipsi Cardinali Spada exhiberent necessitatem secernendi varios Propositionum sensus, ne catholicæ veritates eâdem cum erroribus censurâ involverentur; respondit Cardinalis, *in*

Congregatione considerari præcisè Propositiones secundùm seipsas, abstrahendo à sensu unius vel alterius, conjectâ in aërem manu, proferens hæc verba, *Le ponderamo in abstracto.* Cui replicuimus (ait *Sant.* 16.) quod si tantùm ageretur de considerandis Propositionibus in abstracto, nos ne unum quidem passum proptereà progredi voluissemus, neque partem ullam suscipere: sed quòd attenderemus fundum doctrinæ, quæ Propositionum occasione controvertebatur, & quæ per sensuum discretionem, & totius materiæ elucidationem agnosceretur. Ita Santamoreus: qui per replicam illam subministrat objectionis hujus tertiæ solutionem, nempe dum considerationi Propositionum in abstracto, sensuum distinctionem opponit. Sed antequam hoc ostendatur adhuc præmittendum est aliud testimonium quod alterius objicitur. Cardinalis Cechini nobis, ait *Sant. p.6.cap.*1. dixit se ab initio ad finem omnia Scripta nostra legisse, sed per ea non attingi illud quod quæritur. Nolunt, aiebant, considerare quid actum sit occasione propositionum: sed merè volunt illarum veritatem indagare, abstrahendo ab alio quocumque, easdemque quali-

lifi-

lificare secundum terminos quibus constant: & utinam, addebat idem Cardinalis, vobis aperire possem quali solicitudine, intentione, & sinceritate, huic negotio incumbatur.

Porrò hinc colligunt aliqui, sic quinque Propositiones secundum se examinatas fuisse in congressibus, ut opus Jansenii è quo dicebantur extractæ, nullatenus ibidem excussum fuerit. Sed hanc collectionem illegitimam esse patebit ex sequentibus. Siquidem (dato quod fide digna sint illa documenta quibus ejusmodi testimonia proferuntur) cum Doctores antedicti semper instarent ut resumeretur controversia de Auxiliis, intenderentque semper ut sensus gratiæ per se efficacis approbaretur, damnato sensu gratiæ sufficientis Molinianæ: ideoque supplicarent distingui varios sensus 5. Propositionum, quas æquivocas & ad fraudem fictas esse dicebant; prout etiam varios illarum propositionum sensus in celebri suæ trium columnarum Scripto exhibuerunt: cum, inquam, isti Doctores hæc inculcare non cessarent, Pontifex & Cardinales econtra declarabant velle Suam Sanctitatem abstrahere à controversia de Auxiliis, &

consequenter à præfata sensuum distinctione, propositionesque secundum se sive secundum suos terminos expendere velle, non determinando illas ad sensum hujus vel illius. Cum eo autem bene consistit quod unà discussum fuerit an sensus 5. Propositionum sic secundum se spectatarum contineretur, necne, in libro Jansenii: sicuti cum eo quod Innocentius XII. in suo Brevi de 6. Februarii 1694. & in suo Decreto de 20. Jan. ejusdem anni, vetuerit 5. Propositionum interpretationem fieri in alium sensum *præter eum quem ipsa verba per se exhibent*, bene consistit, quod S. Sedes illas damnaverit in sensu Jansenii seu libri ejus, prout etiam proculdubio damnavit, quia nimirum censuit illum sensum quem 5. Propositionum ipsa verba per se exhibent, importari in libro Jansenii.

Neque verum est quod Paulus Irenæus aliique, ac præsertim Author prologi Panegyreos *pag.* 39. *&* 40. contendunt, Alexandrum VII. in Bulla *ad sacram* tantummodo loqui de 5. Propositionum examine, dum sic ait, *eadem causa discußa est eâ profectò diligentiâ qua major desiderari non poßet*; quandoquidem apertè loquatur de examine eorum quæ

præ-

præmiserat dicens. "Cum sicut accepi-
"mus, nonnulli iniquitatis filii prædi-
"ctas 5. Propositiones vel in libro ejus-
"dem Cornelii Jansenii non reperiri sed
"fictè & pro arbitrio compositas esse,
"vel non in sensu ab eodem intento
"damnatas fuisse, asserere magno cum
"Christi fidelium scandalo non reformi-
"dent." Unde etiam examine diligenti
jam dicto nixus idem Pontifex subjun-
git. "Nos quamcumque dubitationem
"*super præmissis* imposterum auferre vo-
"lentes... 5. illas Propositiones ex libro
"Jansenii excerptas, ac in sensu ab eodem
"Jansenio intento damnatas fuisse defini-
"mus & declaramus." Ubi utrumque
præmissorum per definitionem unicui-
que oppositam respuit: & ubi notanter
hanc nonnullorum assertionem post
Constitutionem Innocentianam per gen-
tium scandalosè dicere 5. Propositiones
in libro Jansenii non reperiri, sed fictè &
pro arbitrio compositas esse, rejicit, dum
disertè 5. *Propositiones ex libro Janse-
nii excerptas.... fuisse definit*; (etiamsi
non dicat se hoc definire tanquam fidei:
& forsan ideo dixerit, si tamen dixerit,
Cardinalis Laurea, Pontificem hoc non
definivisse.) Unde etiam, nec immeri-
tò,

tò, ſupradictam Pauli Irenæi aliorumque opinionem vehementer improbavit idem Alexander VII. in Brevi ad Magnos Vicarios Archiepiſcopi Pariſienſis dato 1. Aug. 1661. & ſupra relato, his verbis Edictum ipſorum nomine publicatum perſtringens. "In quo ſanè (Edi„cto) imprimis non minus temeraria „quam mendaci narratione profertur, „tempore fel. record. Innocentii X. non „aliud actum fuiſſe quam inquiſitum an „Propoſitiones ille quinque de Gratia „veræ & Catholicæ, an potius falſæ & „hæreticæ cenſendæ forent. *Cum eo* „*planè tempore nedum de propoſitionibus* „*ipſis cognitio habita fuerit, verum quod* „*è Janſenii libro Auguſtinus nuncupato* „*extractæ eſſent*, & ita in ſenſu ab eodem „Janſenio intellectæ damnatæ: ut Nos „ipſi Conſtitutione noſtra 17. kal. Nov. „1656. luculenter expreſsè declaravi„mus." Ac proindè nullâ veri ſpecie in Prologo Panegyreos *pag*. 39. dicitur antedictam Alexandri VII. declarationem eò tandem recidere, quod Hallerio & Aſſeclis ejus teſtificantibus, Innocentius & ipſe viciſſim crediderint Janſenii libro contineri ſequentia: "Quod præce„pta Dei ſint homini impoſſibilia: quod „homo

„ homo necessariò bene agat, quia gra-
„ tiæ resistere nequit: quod necessariò
„ peccet, quia defectu gratiæ non pec-
„ care non potest: quod libero arbitrio
„ careat, quia gratia illum ad agendum
„ necessitat: quod Christus nullam gra-
„ tiam conferat illis qui damnantur."

Accedit quod hæc omnia tam manifestè Lutheri & Calvini damnatis hæresibus consonent, ut ad illa damnanda supervacaneum primâ fronte visum fuisset examen operosum; quale pro 5. propositionibus adhibitum fuisse constat. Sed & verisimilitudine caret illud quod ex dicto Paulo Irenæo scribit Author libri *Defense de l'Eglise Romaine* pag. 155. & 156. Innocentium X. credidisse Hallerio Jesuitisque constanter affirmantibus nullam de sensu Jansenii controversiam esse, talemque omnino esse Jansenii sensum, qualis ab ipsis exhibebatur (nimirum in 5. Propositionibus, quas præcisè, litteris 80. Episcoporum insertas, Apostolicæ Sedi ad censuram obtulerant) quandoquidem Innocentius ignorare non potuerit quod sensus Jansenii foret controversus. Inprimis enim D. Lagault D. Hallerii Collega dicebat quod *etiamsi 5. famosæ Propositiones in*

Jansenio non reperirentur conceptis verbis, evidens tamen esset quod in illis summa doctrinæ ejus consisteret. Sant. *p*. 5. *c*. 1. Deinde *p*. 3. *c*. 4. idem Santamoreus Pontifici tradidit plurium Episcoporum litteras quibus apertè scribebant (*Recueil de diverses pieces* pag. 5.) 5. propositiones *ad libitum fictas*, & ambiguis vocibus concinnatas esse. Et *p*. 3. *c*. 12. eidem Pontifici detulit litteras Episcopi Venciensis, quibus affirmabat 5. Propositiones nullo ex certo authore illis ipsis quibus conceptæ sunt verbis excerptas fuisse. Cumque Cardinalis Cechini ex Santamoreo quæreret an 5. propositiones in Bulla Urbani VIII. contra Jansenium edita reperirentur? Respondi, ait Santamoreus *p*. 3 *c* 7. illas nullibi reperiri, meque venisse ut Sanctitati Suæ & suis Eminentiis significarem qualiter pro arbitrio fictæ forent à D Corneto, ad illudendum Pontifici, & S. Sedi. Præterea refert ibidem se Cardinali Barberino mentionem fecisse Scripti cui titulus est: 5. *Propositionum de Gratia quas Facultati Theologicæ Parisiensi M. Nicolaus Cornet subdole exhibuit* 1. *Julii anni* 1649. *vera & Catholica expositio juxta mentem Discipulorum S. Augustini*: & ibidem addit se

se Romæ pluribus illud Scriptum communicavisse, & ejusdem varia exemplaria dedisse. Ibidem *c*. 8. plurimos enumerat quibus ejusmodi exemplaria amicè distribuit. Ibidem *c* 9. donat simile exemplar Patri Waddingo. Ibidem illud ostendit Cardinali Ursino. Ibidem illud tradidit D Holstenio: & de eodem prolixè disseruit apud Socium Patris Commissarii. Porro Scriptum istud, cujus tot exemplaria tunc distributa sunt Romæ, & quod extat apud Santamoreum in Collect. *pag*. 50. *& seqq*. in eo præcipuè versatur ut Jansenium aliosque vindicet à 5. propositionum erroribus.

Itaque quamvis supponatur verum esse, quod, uti refert Santamoreus *p* 4. *c*. 2. DD Brousse, de Lalane, Angran, & simul ipsi Santamoreo 21. anni 1652. dixerit Pontifex se nolle mentionem ullam de Jansenio fieri, & illi quoque se non Jansenii causâ missos esse declararint: & quamvis Santamoreus *p*. 3. *c* 7. Albizio fassus fuisset se librum Jansenii non legisse; nihilominus tantum abest quod antedictum Papæ monitum *observaverint constantissimè*, quemadmodum Author Panegyreos affirmat in Prologo *pag*. 26. ut econtra illud non multò ma-

gis attenderint, quam alterum ejuſdem Papæ ſuper materia de Auxiliis non attingenda mandatum. Etenim adhuc poſtea cum Abbate Hilárione multum de Janſenio diſſeruerunt. Sant. *p*. 4. *c*. 3. Et *p*. 4. *c*. 6. dixit Santamoreus P. Waddingo primam propoſitionem fraudulenter avulſam fuiſſe è loco è quo deſumpti ſunt ejus termini, & in quo antecedentia & conſequentia propoſitionem illam determinant ad ſenſum prorſus orthodoxum, & ad veritatem maximè Catholicam. Deinde etiam poſtea dedit Cardinali Coſtagu ſti exemplar unum Scripti præfati, *p*. 4. *c*. 10. Neque dubium eſt quin ipſe & ſocii ejus juxta præfatas ſuorum Epiſcoporum litteras dictitare pergerent 5. propoſitiones ambiguas & ad fraudem fictas eſſe, earumque nullum alium eſſe Authorem quam illos ipſos qui earum damnationem flagitabant: vide Sant. *p*. 6. *c*. 21. velut etiam expreſsè dixit Abbas Lalanius in celebri audientia 19. Maii 1653. habita: in qua verbotenus legit integrum Scriptum diſtinctionis ſenſuum in tribus columnis. Sant. *p*. 6. *c*. 22. & ſuper eodem Scripto idem Lalanius ibidem integra hora peroravit. Sant. *ibid*. *c*. 23. Finitaque audientia

tia Scriptum illud cum aliis Pontifici obtulerunt, Sant. *p.* 6 *c.* 22. Deinde aliud exemplar ejusdem Scripti tradiderunt Cardinali Spada. Sant. *ibid. c.* 24. Similiter *ib.* Cardinali Pamphilio qui in locum Cardinalis Roma defuncti suffectus fuerat. Similiter Cardinali Cechini qui ab audientia abfuerat: ideoque simul ei dederunt exemplar orationis D. Lalanii, *ibidem* Subscribebantque & sigillo suo muniebant omnia Scripti prioris exemplaria, *ib.* Aliud quoque dicti Scripti exemplar datum est Cardinali Ginetti: *ibidem in fine.* Porro in illo Scripto dum agitur de prima propositione, expressè dicitur in titulo, illam propositionem *à suo loco dolosè avulsam* esse: de unaquaque verò reliquarum dicitur illam esse *fabricatam.*

Denique inter Scripta quæ in audientia præfata obtulere Pontifici, erat hoc quintum, super quo etiam tunc disseruit Abbas Lalanius, & quod intitulatum erat, *Explanatio* 60. *testimoniorum S. Augustini.* In illo autem Scripto, quod extat apud Santamoreum in collect: *pag.* 110. *& seqq.* Jansenium vindicare conabantur ab eo quod contenderetur rejicere quamcumque gratiam sufficientem,

ut alibi dictum est. Deinde contra Hallerium & socios ejus initio ejusdem Scripti ponuntur 8. notæ generales quarum hæc est septima. *Imponunt Jansenio, ut infra ostendetur.* Insuper postquam ex Scripto Adversariorum objectum fuit quod Jansenius primam propositionem doceret *tom.* 3. *lib.* 3. *de Grat. Salv. c.* 13. &c. sic respondetur *pag.* 111. "Hoc „docet Jansenius, & ex multis S. Augu„stini locis colligit, sed ex antecedenti„bus & consequentibus, à quibus pro„positio avulsa est, clarum est quam re„cto sensu illud dixerit." *Pag.* 112. ad aliam objectionem de Gratia sufficiente respondetur hoc modo: *Imponunt Jansenio*, nisi per auxilium sufficiens intelligant Molinisticum &c. *Pag.* 128. ad aliam objectionem respondetur, Adversarios ibi *imponere S. Augustino & Jansenio.* Unde etiam in *Relatione Brevi* Waddingus (quem Author Panegyreos *pag.* 31. Prologi, appellat virum in hoc negotio cum præconio nominandum) agens de præfata audientia, sic ait: "In„troducti sunt quinque Presbyteri Gal„li Sorbonici, *qui partes tuebantur Jan„senii.*"

Postremò Consultores, juxta ipso-

rum

rum vota à Santamoreo producta, non rarò nec tantùm obiter de Jansenii sensu disseruerunt, & eorum aliqui disertè negârunt quasdam è 5. Propositionibus apud illum inveniri. Idem apparet in præfata *Relatione Brevi* Waddingi. Nam, utì refertur in priori Scripto, Waddingus dixit, primam Propositionem in tertio sensu (*quem putavit esse Jansenii*) nullam mereri censuram. P. Tartaglia judicavit dignam esse censurâ in sensu intento à Jansenio. Secundam Propositionem in sensu intento à Jansenio dignam esse censurâ judicârunt sequentes, P. Palavicinus, P. Delbene, P. Aversa, P. Augustinus Maria à Cremonâ, P. Campanella, P. Modestus: quorum tres postremi expressè censurarunt eandem in sensu proprio. Tertiam Propositionem in sensu Jansenii censurarunt P. Joannes Augustinus, P. Palavicinus, P. Marcus Antonius Carpinetus, P. Augustinus Maria, P. Aversa. Quartam Propositionem sic qualificârunt sequentes, P. Joannes Augustinus: ut jacet, hæreticam: ut asseritur à Jansenio contra quosdam Doctores Catholicos, mereri censuram &c. P. Delbene: secundam partem prout intelligitur à Jansenio,

nio, formaliter hæreticam. P. Augustinus Maria: in proprio & rigoroso sensu verborum à Jansenio intento esse formaliter hæreticam. P. Aversa: eo modo quo ponitur à Jansenio, videri hæreticam. Patres Palavicinus & Carpinetus: prout prolatam à Jansenio, immunem esse ab omni censura Theologica: nisi in quantum nimis rigorosè censurat. P. autem Waddingus sic ait: "Censeo "Propositionem hanc fuisse malè con-"ceptam: & Authorem (quisquis ille "fuerit) in prima parte circa dogmata "Semipelagianorum, & in secunda cir-"ca mentem Jansenii fuisse planè dece-"ptum. Cæterùm in Libro Jansenii cen-"seo scandalosum esse & temerarium "nimis vehementem illum modum pro-"pugnandi sententiam propriam, & im-"pugnandi alienas, præsertim Patrum "Jesuitarum." Super quibus votis Thomista præfatus ita notat: "Sensum "Jansenii hìc expresse Jesuita Palavici-"nus, Carpinetus, Waddingus, à cen-"sura eximunt: imò postremus ille Au-"ctorem illarum Propositionum in Jan-"senii mente planè deceptum *coram* "*Summo Pontifice* prædicat, verène an "falsò, nihil ad me. Interim obiter no-

"to

"to hanc de Janſenii ſenſu controver-
" ſiam inter ipſos Conſultores viguiſſe."
Hæc ille Thomiſta. Addo ego ex hoc ſolo manifeſtum eſſe quòd Authores ſuprà citati fruſtra contendant Innocentium X. credidiſſe Hallerio, & aſſeclis ejus conſtanter affirmantibus, quòd nulla de ſenſu Janſenii foret controverſia. Id ipſum patebit ampliùs ex ſequentibus ſuper quinta Propoſitione ſuffragiis. Siquidem hanc expreſsè in ſenſu Janſenii cenſoriâ notâ caſtigant P. Joannes Auguſtinus, P. Palavicinus, P. Delbene, P. Auguſtinus Maria, & P. Averſa. P. Waddingus verò dicit quòd iſta propoſitio cum illa nota ſive cenſura Semipelagiani erroris nullibi legatur apud Janſenium. Deſumpta ſunt hæc omnia è priori Scripto quod extat apud Santamoreum in Collectaneis *pag.* 173. & *ſeqq.* & confirmantur ex ſupradicto poſteriori Scripto, ſive *Relatione Brevi* &c. In qua nimirum (prætermiſſis iis quæ jam è priori Scripto narrata ſunt) habetur, quòd Cæleſtinus ſecundam propoſitionem cenſuerit eſſe contra omnes Thomiſtas, SS. Patres, præſertim Auguſtinum, quem ſibi Patronum ſuſcipit, ſed falsò, Janſenius. Waddingus

verò dixit propositionem hanc nusquam sub his terminis reperiri apud Jansenium. Deinde ibidem habetur, quòd in relectione votorum P. Cælestinus de prima propositione sic censuerit: in sensu Jansenii est formaliter hæretica, & absolutè, prout in voto. Item quòd (cùm intimatum esset per D. Cardinalem Ginetum velle SS. Dominum omnia suffragia PP. Consultorum perlegere, & singulis Congregationibus coram se habendis audire, cùmque posteà jussisset Pontifex ut unusque suum proferret judicium super prima propositione) Waddingus voto suo adhæserit, licet ad unum tantùm sensum totum negotium reduxerit, illumque dixerit esse legitimum & genuinum Jansenii de potentia seu possibilitate proxima & completa & cum effectu, ut loquitur Augustinus: & ostenderit non voluisse Authorem, ut semper desit gratia &c. Item quòd postremus dixerit M. S. Palatii breviter & ad rem loquens de mente Jansenii, & conformiter cum doctrina S. Augustini. Denique quòd Commissarius S. Officii, præsente similiter Pontifice, judicium suum aperiens super tertia propositione, toto sui sermonis discursu voluerit probare

bare eandem esse Iansenii & Dominicanorum doctrinam.

OBJECTIO QUARTA.

Est moraliter impossibile librum Jansenii per 60. circiter viros religione & eruditione præstantes, locoque, studiis, professione & commodis ita dissimiles approbatum summeque laudatum, continere quinas hæreses, sive 5. famosos articulos.

RESPONSIO.

POsset hic commemorari quomodo S. Cypriani de re baptizandis hæreticis sententiam comprobarint Synodi Episcoporum ex Africa, Numidia & Mauritania congregatorum, necnon S. Dionysius Alexandriæ, & Firmilianus Cæsareæ Episcopi. Item quot & quales Origenis & Theodori Mopsuesteni Scripta & errata propugnaverint. Sed exemplis veteribus omissis ad moderna veniendum est. Non latet quam multi viri præstantes & eruditi probaverint quædam opera quietistica, necnon disciplinam Ecclesiasticam & Bibliothecam Æliæ du Pin, & etiamnum probent nonam partem difficultatum Domino S. Pro-

positarum, quin & Suavianam Concilii Trid. historiam. Et tamen quam intolerabilia sint ejusmodi Scripta, jam inter omnes constare videtur; demptis duobus ultimis, de quibus agetur infra per appendices. Sed iterum his omissis, juvat ex solis 5. Propositionibus hìc exempla sumere. Atque imprimis observo quod Author ille ex quo præsens objectio desumpta est, probè noverit 5. famosas Propositiones à Pontifice Romano tanquam hæreticas esse damnatas, & non ignoret huic damnationi consensum Ecclesiæ accessisse, prout expressè observavit Arnaldus in sua ad Theologos Duacenses Epistola: adeoque dubitari non posse quin istæ Propositiones sint hæreticæ. Et tamen eas, ad gratiæ per se efficacis sensum revocatas, constanter tenuerunt Santamoreus ejusque Collegæ aliique Galli quamplurimi: quinimo cum illæ ab 80. Episcopis ad censuram oblatæ forent, non pauci è familia PP. Dominicanorum viri doctissimi, tam juxta Authorem panegyreos, quam juxta Santamoreum *p. 6. c. 6.* propositiones illas scripto propugnaverunt, videlicet easdem revocando ad sensum gratiæ per se efficacis: & pariter quidam eruditus

ac pius Cardinalis (ut refert *Sant. p.* 2. *c.* 5. & Author panegyreos *pag.* 19. prologi) illas tanto fervore propugnabat, ut coram Papa sustineret earum censuras fore hæreticas. Imo (prout scribit idem *Sant. p.* 6. *c* 19.) cum quidam Cardinalis Bullam 5. Propositionum condemnatoriam esse conceptam inaudiisset, adhuc easdem propositiones in sensu præfato defendere conabatur. Denique ex ipsis Consultorum suffragiis à Santamoreo aliisque productis liquet nonnullos è Consultoribus illis quasdam è quinque Propositionibus à censura exemisse.

Quid ergo mirum si in Belgio aliisque locis inventi sint 50. aut 60. Theologi, qui Librum (cujus Authorem propter ingenium, studium, pietatem & labores, tamquam de S. Sede, de Ecclesia Belgica, de Universitate Lovaniensi, quin de Augustissima Domo Austriaca optimè meritum magnopere suspiciebant) approbârint, laudibusque cumulârint; adeòque quinas hæreses in eodem Libro reperiri non existimârint: cùm etiam 5. famosæ Propositiones, demptâ primâ, ibi non contineantur expressis terminis: cùmque nondum ad censuram oblatæ forent: potuerintque

Propositiones istæ, prout in Libro traduntur, benignè à præfatis approbatoribus intelligi, & ab ipsis aut plerisque ipsorum ad sensum gratiæ per se efficacis Augustinianæ revocari.

OBJECTIO V.

In Decretis Apostolicis causam Jansenianam concernentibus debuisset apponi distinctio inter jus & factum, aut permitti debuisset ut illa Decreta cum tali distinctione reciperentur & subscriberentur, saltem à Monialibus, præsertim cum factum Jansenii foret controversum: cùmque Baronius, Bellarminus, aliique S. Sedi plurimùm addicti distinctionem istam adhibeant in aliis similibus causis.

RESPONSIO.

SEdes Apostolica distinctionem illam non improbat, neque Doctoribus particularibus ejus usum inhibet: sed illam in suis Decretis aut eorum subscriptionibus, juxta morem hactenus in Ecclesia observatum, non admittit: idque non minus quod attinet ad facta contentiosa seu controversa, quam ad alia.

Nam

Nam in Concilio Constantinopolitano II. Generali V. collatione 6. sic statuitur.

Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychem, *Originem cum impiis eorum conscriptis... talis anathema sit.*

Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, & impia ejus conscripta... & non anathematizat eum & impia ejus conscripta... talis anathema sit.

Si quis defendit impia Theodoreti conscripta quæ contra rectam fidem & contra primam Ephesinam S. Synodum & S. Cyrillum & duodecim ejus capitula exposuit, *talis anathema sit.*

Si quis defendit Epistolam quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse... *& non anathematizat eam... talis anathema sit.* Hæc ibi.

In Concilio Lateranensi celebrato per S. Martinum Papam I. cum centum quinque Episcopis, Canone 18. sic statuitur.

Si quis, secundum SS. Patres, consonanterque nobis, pariterque fide *non respuit & anathematizat* anima & ore omnes quos respuit & anathematizat

nefan-

nefandissimos hæreticos *cum omnibus impiis eorum conscriptis usque ad unum apicem* Sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica, hoc est Sanctæ & Universales quinque Synodi, & consonanter omnes probabiles Ecclesiæ Patres, id est, *Sabellium*, *Arium*, *Originem*, *Didymum*, *Evagrium*, & compendiosè omnes reliquos hæreticos... *hujusmodi condemnatus sit.*

Denique in Concilio Constantinopolitano III. Generali VI. actione 13. habentur sequentia.

"Hasque (Epistolas Sergii tam ad „Cyrum quàm ad Honorium, & *Episto-* „*lam Honorii* ad Sergium) invenientes „omninò alienas existere ab Apostolicis „dogmatibus, & à definitionibus San- „ctorum Conciliorum, & cunctorum „probabilium Patrum, sequi verò falsas „doctrinas hæreticorum, eas omnimo- „do *abjicimus*, & tamquam animæ no- „xias *execramur*. Quorùm autem, id „est eorundem, impia execramur dog- „mata, horum & nomina à Sancta Dei „Ecclesia projici judicavimus, id est „Sergii.... Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, „Petri & Pauli... & Theodori... quos „anathemati submitti *definimus*. Cum „his

„his verò ſimul projici à Sancta Dei Ca-
„tholica Eccleſia, ſimulque anathema-
„tizari prævidimus *Honorium*, qui fue-
„rat Papa antiquæ Romæ, eo quod in-
„venimus per Scripta quæ ab eo facta
„ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus
„mentem ſecutus eſt, & impia dogma-
„ta confirmavit." Hæc ibi.

Porrò nullus eruditus ignorat illud quod vocant factum Origenis, Theodori Mopſueſteni, Theodoreti, necnon Honorii, tunc temporis, uti & poſtea, fuiſſe ſummopere controverſum. Et tamen præfati Canones ſine diſtinctione juris & facti anathematizant, condemnant, definiunt, prout ſupra.

Igitur jure merito Summus Pontifex cauſam Janſenianam, diſtinctione tali non adhibita, terminavit: præſertim cum juxta Epiſcopum Aletenſem in ſua ad Archiepiſcopum Pariſienſem Epiſtola, factum Janſenii ſit planè ſimile factis Honorii & Theodoreti.

Quod autem Moniales, aliosque nonnullos ſpecificè concernit, dictum eſt in Hiſtoria.

OBJECTIO SEXTA.

In æternum disputabitur quis sit sensus obvius 5 propositionum, sicuti quis sit sensus à Jansenio intentus : & ideo adhuc nunc omninò desideratur ut clarè & distinctè explicetur sensus damnatus istarum propositionum, sicuti adhuc desideratur examen legitimum libri Jansenii.

RESPONSIO.

INnocentius X. his Bullæ suæ verbis, *Cum occasione impressionis libri cui titulus Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super 5. ex illis*, clarè affirmat 5. propositiones contineri inter alias opiniones quæ traduntur in libro Jansenii : & idem iterum apertè insinuat in fine Bullæ his verbis, *Non intendentes approbare alias opiniones quæ continentur in prædicto libro* : ac postea illud ipsum in supra relato Brevi ad Episcopos Galliæ confirmavit 29. Sept. 1654. his verbis : *Damnavimus in 5. propositionibus C. Jansenii doctrinam ejus libro contentam.*

Ideoque Alexander VII. merito definivit & declaravit Innocentium X. damnavisse 5. propositiones in sensu à Jansenio intento.

Deinde ex his dictæ Bullæ Innocentianæ verbis, " *Tenor* verò præfatarum propositionum est prout sequitur. Prima. Aliqua Dei præcepta " &c. & ex damnatione subjuncta, clarè patet illas propositiones ibi damnari juxta suum *tenorem*, adeoque ibi damnari in sensu obvio quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt, prout Innocentius XII. prædecessores suos (scilicet Innocentium X. & pariter Alexandrum VII. qui Innocentii X. Constitutionem approbavit & innovavit) sensum illum damnasse declaravit.

Ex quo sequitur quod 5. propositionum sensum à Jansenio intentum S. Sedes judicet eundem esse cum 5. propositionum sensu obvio quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt.

Cumque ipsa experientia docuerit quod non parum difficile sit 5. propositionum sensum à Jansenio intentum ex lectura libri Janseniani reperire: &

ècontra facile ſit noſſe quiſnam 5. propoſitionum ſit ſenſus obvius quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt ; ratio dictat ut ſi noſſe velim quiſnam ſit ille ſenſus in quo quinque propoſitiones damnavit S. Sedes, & conſequenter noſſe velim quiſnam ſit dictus ſenſus obvius, & dictus ſenſus à Janſeniſmo intentus, potius conſiderem quiſnam ſit 5 propoſitionum ſenſus obvius quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt, quam examinem quiſnam ſit 5. propoſitionum ſenſus à Janſenio intentus, ſive in libro ejus expreſſus. Eſtque hoc conforme Decreto, quo Innocentius XII. ſilentium impoſuit ſuper interpretatione 5. propoſitionum in alios ſenſus præter eum quem ipſa verba præcisè exhibent.

Aſt (objicit Author prologi Panægyreos pag. 62. & ſeq.) in æternum diſputabitur quis ſit ille ſenſus obvius quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt. R. Non eſt ita, veluti mox apparebit.

Jeſuitæ (pergit objicere dictus Author) ſenſum obvium accipiunt ſenſum

ſum Auguſtinianum, & gratiæ per ſe efficacis. R. Non defuere quidem Jeſuitæ & alii qui ſic intellexere ſenſum à Janſenio intentum: & pariter contigit, & facilè continget, ſic ab aliquo intelligi ſenſum obvium libri Janſeniani: ſed hactenus ignotus eſt ullus Jeſuita vel alius eruditus (uti nec creditur facilè futurus) qui *ſenſum obvium quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt*, acceperit velut objectum eſt.

Pergit idem Scriptor. Auguſtinianæ gratiæ defenſores, ait, ſenſum obvium aſſignant ſenſum Lutheranum aut Calviniſticum. R hoc factitarunt, ſed perperam, illi qui quo minus 5. propoſitiones ſine ſenſuum diſtinctione damnarentur impedire conati ſunt; dum ex. g. in prima columna celebris ſui ſcripti diſtinctionis 5. propoſitionum in varios ſenſus, hunc ſenſum tamquam damnabilem & hæreticum primæ propoſitionis aſſignarunt, vel ſaltem (uti expreſsè dixerunt) tanquam talem qui primæ propoſitioni affingi poſſet, quem tamen legitimè ſumpta non habet:

„ Juſtis omnibus quantumlibet vo-
„ len-

„ lentibus & conantibus secundùm
„ præsentes quantascumque vires quæ
„ à gratia magna & efficace habentur,
„ mandata Dei sunt impossibilia. Deest
„ quoque illis semper & quamdiu vi-
„ vunt gratia qua possint vel unum ex
„ mandatis Dei sine peccato adim-
„ plere.

„ Hæc propositio (aiebant ibidem
„ infra) est hæretica, Calviniana aut
„ Lutherana, & à Concilio Triden-
„ tino damnata. „ Sed manifestum
est quod sensus ibi assignatus non sit
sensus obvius quem ipsamet primæ
propositionis verba præ se ferunt. Et
idem est de sensu primæ propositionis
qui à Scriptore Panegyreos pag. 67.
assignatur hoc modo. "Aliqua Dei
„ præcepta justis omnibus volentibus
„ & conantibus secundum præsentis
„ vitæ vires sunt absolutè impossibi-
„ lia, deest quoque iisdem gratia qua
„ possibilia fiant.

Item de sensu qui ad primam pro-
positionem in secunda columna appo-
nitur hoc modo. "Aliqua Dei præ-
„ cepta aliquibus justis volentibus &
„ conantibus invalidè & imperfectè
„ secundum præsentes quas habent vi-

,, res, parvas ſcilicet, & infirmas, ſeu
,, auxilio efficaci ad pleniè volendum
,, & operandum neceſſario deſtitutis,
,, impoſſibilia ſunt proximè & com-
,, pletè, ſeu ab iis adimpleri proximè
,, non poſſunt. Deeſt quoque illis gra-
,, tia efficax qua præcepta illis prox-
,, imè poſſibilia fiant; ſeu deeſt illis
,, ſpeciale illud auxilium ſine quo
,, juſtificatus, ut ait Concilium Tri-
,, dentinum, in accepta juſtitia, id
,, eſt in obſervatione mandatorum Dei,
,, perſeverare non poteſt.

Ac pariter liquet de ſenſu ejuſdem propoſitionis à Dominicanis quibuſdam ad ſenſum gratiæ per ſe efficacis reducto, & à dicto Scriptore relato ex Sanct. *p.* 6. *c.*6. qui ſic ſonat.

„ Gratia de ſe efficax verè realiter ac
,, phyſicè præmovens & prædetermi-
,, nans immutabiliter, infallibiliter,
,, inſuperabiliter & indeclinabiliter
,, ita eſt neceſſaria ad ſingulos actus,
,, etiam ad initium fidei & ad oratio-
,, nem, ut ſine illa homo etiam juſtus
,, non poſſit adimplere Dei præcepta,
,, etiamſi velit & conetur affectu:
,, quia deeſt illi gratia qua poſſit, ſine
,, qua

„ qua fiant illi possibilia possibilitate
„ cum effectu : ut loquitur Augusti-
„ nus *De nat. & grat. c.* 42.

Et idem evidenter apparebit de sensibus 4. aliarum propositionum allegatis in prædicto scripto distinctionis sensuum aut in Panegyri Janseniana, aut in jam dicto Dominicanorum Scripto.

Adeo ut ex. gr. dum quis quintam propositionem damnat in sensu hæretico per Santamoreum ejusque socios ante Constitutionem editam allegato, aut per Scriptorem prologi Panegyreos nuper assignato, non ideo hanc, *Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus est*, damnet ut hæreticam in sensu obvio quem ipsamet hujus propositionis verba præ se ferunt.

Quod attinet ad Consultores, quos etiam Author Panegyreos, pag. 63. prologi objicit in varias circa propositionum sensum opiniones abiisse; evidens est allegata eorum suffragia supponenti & consideranti, quod non omnes intenderint unicè spectare sensum obvium quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt : imo (prout ani-

animadvertit Thomiſta ſupra citatus, apud Sant. in Collect. *pag.* 176.) rigoroſum verborum ſenſum hæreticum eſſe inter omnes Conſultores conſtabat.

Et Paulus Irenæus *Diſq.* 2. *a.* 4. de prima propoſitione ſic ait. " Fatendum ,, eſt propoſitionem in ſe ſpectatam, ,, & in proprio ac rigoroſo ſenſu, ut ,, loquuntur Romani Conſultores, ,, non unam ſed multas hæreſes com- ,, plecti. ,, Et in *Diſq.* 1. *a.* 1. de omnibus quinque ſic loquitur. " Omnes ,, ad unum Catholici iſtas propoſitio- ,, nes proſcribunt, & quidem in pro- ,, prio verborum ſenſu. ,, Similiter Montaltius in epiſtola provinciali 17. diſertè docet proprium & naturalem ſenſum 5. propoſitionum alienum eſſe à ſenſu gratiæ efficacis Auguſtinianæ, ideoque Pontificem illas propoſitiones damnaſſe, iſtique damnationi omnes acquieviſſe. Et ipſe quidem Santamoreus p. 6. c. 2. hæc teſtatur. Poſt Conſtitutionem Pontificiam, damnationi propoſitionum ſimpliciter acquievimus, inquit, omittentes ullum bonum ſenſum illis attribuere,

aut illas ullo modo, ſub ullo prætextu defendere.

Quin imo ante Conſtitutionem, uti narrat Sant. ib. ſatis inter ipſos conveniebat quod 5. propoſitiones damnabiles eſſent in naturali, proprio, & rigoroſo verborum ſecundum ſe merè ſpectatorum ſenſu: quodque ſenſus gratiæ efficacis Auguſtinianæ quem propoſitionibus ſecundum ſe ſpectatis attribuebant, eſſet improprius. Sed nihilominus inter ſe minime conveniebant ſuper modo quo de propoſitionibus illis loquerentur. Ipſorum enim aliqui cenſebant illas abſolute ſuſtinendas, negandumque eſſe quod ſenſum illum malum haberent qui ipſis imputabatur: cum enim, uti proteſtabantur, nemo propoſitiones illas in ſenſu illo malo ſuſtineret, ſed in ſolo ſenſu gratiæ per ſe efficacis Auguſtinianæ (non neceſſitantis, ſed ad ſingulos pietatis actus neceſſariæ) videbatur dicendum quod ſenſus in vocibus iſtis intelligi ſolitus, etſi ſecundùm ſe minus proprius, revera tamen eſſet illarum ſenſus litteralis & legitimus (quemadmodum dici ſolet de fi-

guratis S. Scripturæ locutionibus) & quod hoc ipſum eſſet Romæ liberè declarandum, ne alias Roma facilius ad damnandas illas propoſitiones induceretur, quas videret ab his etiam ex parte damnari. Alii èecontra cenſebant quod tutius foret illas propoſitiones abſolutè rejicere, una nihilominus ſuſtinendo veram S. Auguſtini doctrinam; ne poſtquam contigiſſet illas propoſitiones damnari, contenderent Adverſarii gratiam efficacem eſſe damnatam, aut ſaltem ſumerent occaſionem defenſores ejuſdem gratiæ traducendi tanquam à S. Sede damnatos. Hancque ſententiam tuebatur Sanbovius cum pleriſque Doctoribus amicis, & in eundem propendebant Collegæ omnes Santamorei, videlicet ut non loquerentur de propoſitionibus niſi tanquam damnabilibus. Ipſe verò Santamoreus cum quodam Doctore Pariſienſi & pluribus aliis peritis Romanis, priori ſententiæ adhærebat, veritus ne meticulosè procedendo cenſuram attraheret, quæ per quorundam abuſum, plurimum mali adferret. Ideoque idem Santamoreus (ubi Col-

legæ ejus in ſcripto diſtinctionis ſenſuum, exhibendo ſenſum malum, cenſebant ſimpliciter dicendum *ſenſus hæreticus propoſitionis*, aut *ſenſus qui propoſitioni affingi poſſet*) effecit ut ſic poneretur, *qui maligne affingi poſſet, quem tamen legitimè ſumpta non habet.* Hæc omnia ex Santamoreo ſupra citato, qui ibidem fatetur ſe propter antedicta anxium eſſe, ſemperque fuiſſe, licet ſimul addat ſibi non conſtare quod in illis erraverit. Quod tamen jam pauci non vident.

Denique ipſe Author ex quo præcedentes objectiones deſumptæ ſunt, prologi pag. 66. ſic ait. ,, Non hæc ,, eo à me animo proferuntur, ut pro- ,, poſitiones ipſas... crudas, ut jacent, ,, atque in terminis ſuis tuear.

Quæ cum ita ſint, facile videre eſt eundem Authorem, pag. 67. & ſeqq. malè ponere hæc duo tamquam ad pacem Eccleſiæ adhuc nunc omnino deſiderata. 1. Ut clarè & diſtinctè explicetur ſenſus damnatus quinque propoſitionum. 2. Ut Liber Janſenii legitimè examinetur. Nam quod ad primum attinet, oſtenſum eſt in hiſtoria qualiter Author ille ſub ſpecie

explicationis, ſenſum propoſitionum immutet. Deinde quinque propoſitionum damnatus ſenſus clarè & diſtinctè determinatus eſt, cùm non tantùm damnatæ ſint in ſenſu à Janſenio intento, verùm etiam damnatæ ſint juxta ſuum tenorem, id eſt (velut Innocentius XII. interpretatus eſt & declaravit) in ſenſu obvio quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt: ex quo ſenſu obvio, claro ſatis & diſtincto, determinatur ſenſus ille minùs clarus & diſtinctus, quem Pontifex ſignificavit nominans ſenſum à Janſenio intentum: prout adhuc ſupra dictum eſt. Ideoque jure merito Innocentius XII. in ſuo Decreto de 28. Anni 1694. ſuper Formularii interpretatione, ſicut & prędictarum propoſitionum in alios ſenſus præter eum quem ipſa verba per ſe exhibent, omnibus & ſingulis. . . perpetuum ſilentium impoſuit.

Quantùm ad novam Libri Janſenii diſcuſſionem quæ requiri prætenditur (& quidem quæ ſit juridica, & in qua defenſioni locus detur, partes contradictoriæ audiantur, & omnibus ritè perceptis, conſideratis, ex-

pen-

penlis, peremptoria dicatur ſententia) ſupra oſtenſum eſt, jura quæ ad præ-tenſam illam juridicam Libri diſcuſ-ſionem allegantur, impertinentia eſſe, ſolùmque concernere judicium perſo-narum : & de cætero pariter oſten-ſum eſt ſupra, quod Liber Janſenii ſumma diligentia ſub Innocentio X. diſcuſſus fuerit, ſimulque tunc fue-rit examinatum an quinque propoſi-tiones in iſto libro continerentur. Deinde ſuppone Libri examen iterari, priuſque judicium confirmari, pu-taſne quod illi qui modò diſſentiunt, tunc aſſentient, aut ſaltem ſilebunt? Mirum ſi non contendant iterum ali-quam juris formulam examini defuiſ-ſe, aut ſaltem, ſi non allegent Pon-tificem imo Eccleſiam in ejuſmodi rebus falli poſſe, cum magis attende-re deberent ſe ipſos errori eſſe obno-xios, meritòque ſilentium, cele-brium ipſorum quatuor Epiſcoporum judicio debitum, obſervarent etiam modò.

FINIS.

APPENDIX

De Suaviana Concilii Tridentini historia.

IN responsione ad quartam objectionem dictum est probatum iri quod historia ista sit intolerabilis. Ad hoc verò sufficit ejusdem initium expendere, in quo nempe totius operis summa exhibetur hoc modo. "Etsi plerique hoc seculo magni nominis Historici scriptis suis peculiares quosdam rerum in Concilio Tridentino gestarum eventus attigerint, *& I. Sleidanus diligens inprimis auctor conventûs illius causas summâ accuratione commemorarit.*

NOTA I.

J. Sleidanus (qui juxta *Suavem* est *diligens inprimis auctor*, quique juxta eundem, *Concilii Tridentini causas summâ accuratione commemoravit*) hæreticus fuit, & in favorem hæresum suarum multa mendacia scripsit; veluti passim observant Scriptores Catholici, inter quos H. Spondanus ad annum 1619. eundem Sleidanum *mendaciorum loquacissimum* appellat. Et ad

ad annum 1556. sic ait : "Moritur
"J. Sleidanus ſpurius, & hęreticus Bel-
"ga , qui ſuos de Religione & Re-
"publica libros præcedenti anno edi-
"derat mendaciis & impoſturis refer-
"tiſſimos. Spenc. Genebrard.

Proſequitur *Suavis* paucis interpoſitis.

" Mihi igitur conſilium eſt expo-
" nere cauſas & in rebus tractandis
" progreſſum Conventûs Eccleſiaſti-
" ci , qui duorum & viginti anno-
" rum ſpatio , propter diverſos fines,
" variis artibus hinc expetitus & ſol-
" licitatus , inde impeditus & dilatus,
" octodecim poſt annis aliquando
" convocatus , interdum dimiſſus ,
" utique diverſiſſimis propoſitis fini-
" bus concelebratus , *exitum habuit*
" *planè repugnantem* tam eorum deſti-
" nationi qui ipſum procuraverant ,
" quàm illorum formidini qui ſibi ab
" eventu metuentes , omne ſtudium
" ad eum diſturbandum contulerant ;
" *illuſtri certè in omnem poſteritatem do-*
" *cumento* , res cogitationeſque mor-
" talium in Deum conjiciendas , ne-
" que humanæ prudentiæ viribus fi-
" dendum. Etenim Concilium hoc
quod

,, quod Viri pii ardentibus votis fla-
,, gitantes tandem procurarunt ad Ec-
,, clesiam quæ fatiſcere & dividi cœp-
,, ta erat, rurſus uniendam & con-
,, glutinandam, è contrario tantâ
,, partium obſtinatione *Schiſma conſta-*
,, *bilivit*, ut reconciliationis ſpes om-
,, nis decoxerit. Quod Principes ad
,, Ordinis Eccleſiaſtici reformationem
,, celebrandum curarunt, *majorem*
,, *quàm unquam aliàs ex quo fuit nomen*
,, *Chriſtianum*, *in Eccleſiam invexit de-*
,, *formitatem.* Quod Epiſcopi ſpera-
,, bant *Antiſtitum Dignitatem* in inte-
,, grum reſtituturum, quam penè u-
,, niverſam ipſis ademptam Pontifex
,, Romanus ad ſe traxerat, eandem
,, *pleniſſimè proſtravit.* Quod denique
,, Curię Romanę odioſum erat & for-
,, midabile, quaſi unicum remedium
,, & in ſpeciem efficax moderandæ
,, immenſæ illius potentiæ, *quæ ab*
,, *parvis initiis lapſu temporis excreve-*
,, *rat in infinitum*, *eam in ſibi ſubditos*
,, *ita validè fixit* & corroboravit, ut
,, nunquam tanta tamque firmis radi-
,, cibus innixa credatur."

NOTA II.

SAcroſancta Synodus Tridentina (quæ pro extirpandis hæreſibus & moribus reformandis præcipuè congregata fuit, uti dicitur ſeſſ. 3. & quæ ad utrumque finem accommodatiſſima decreta edidit) juxta *Suavem* prorſus exitialis fuit. 1. Quia ſchiſma conſtabilivit. 2. Quia non Ordinis Eccleſiaſtici reformationem, ſed majorem quàm unquam aliàs ex quo fuit nomen Chriſtianum, in Eccleſiam invexit deformitatem. 3. Quia Antiſtitum dignitatem pleniſſimè proſtravit. 4. Quia immenſam Curię Romanę potentiam, quæ, juxta *Suavem* ab parvis initiis lapſu temporis excreverat in infinitum, minimè moderata eſt, ſed eam econtra in ſibi ſubditos validè fixit.

Ex quo patet hiſtoriam illam non tantùm intolerabilem eſſe, ſed impiam & mendacem.

Neque multò minùs probari poſſet de alio libro, qui pluribus eruditis placere dicitur, & cui titulus eſt, *Traité des benefices, de Fra Paolo Sarpi.*

A P-

APPENDIX ALTERA

Continens varios excessus è nona parte difficultatum Domino S. propositarum *extractos.*

EXCESSUS

DEcretum Alexandri VIII. condemnatorium 31. propositionum, habendum est tamquam subreptitium: pag. 124. adeoque tanquam irritum: pag. 270.

Negari non potest quin Decretum istud sit subreptitium, adeoque nullatenus attendendum, si probari possit plurimas illarum propositionum falsò imputatas fuisse Authotibus, quibus delatores easdem adscripserant: pag. 256. & 257.

Obreptio ista probatur primò ex propositione 24. ib. Secundò ex propositione 18. pag. 258. Tertiò ex propositione 23. pag. 260. Quartò ex propositione 16. ib. Quintò probatur obreptio ex propositione 25. pag. 267. Sextò ex propositione 31. pag. 285. & 292.

RESPONSIO.

IMprimis Decretùm illud receptum est saltem in Belgio, etiam ab illis quorum partes agit Doctor Hennebel, uti probatum est in præfatione. Deinde nulli nominantur Authores in Decreto. Tertiò licet quibusdam instantibus, non tamen ad ullius instantiam, sed motu proprio, & examine diligenti præmisso, emanavit. Ac proinde, tametsi supponeretur ibi dari locum errori, non daretur tamen subreptioni.

OBJECTIO.

INnocentius XI. consentire noluit, ut Decretum istud emanaret. . . . & postea sub Alexandro VIII. emanavit absque novo examine: pag. 254.

RESPONSIO.

Quamvis ita esse supponeretur, equidem examen præcesserat, & solus annutus Pontificius requirebatur: illumque dedit Alexander VIII.

EXCESSUS.

Idem Decretum, propter obreptionem,

nem, aliis abundat vitiis, ob quæ nullius momenti esse debet apud eos omnes qui Ecclesiam amant: pag. 285.

Tantùm dissidiis turbisque fovendis accommodatum est: pag. 123.

Propositio 7. est unum è sanctioribus moralis Christianæ principiis: pag. 178.

Hæc propositio, *Omnia infidelium opera sunt peccata* (& consequenter propositio 8.) necessariò sequitur ex sancto principio jam dicto: ib.

Propositio 12. & 28. non videntur ullam censu,am mereri: pag. 212.

5. Propositio concepta est talibus terminis qui subministrare possunt aliquem *prætextum* illam damnandi: sed adhuc facilius est illâ abuti ad convellendum certissima principia doctrinæ de gratia: pag. 213.

Ejusdem propositionis hæc ultima pars, *unde inferes in infidelibus voluntatem nudam esse & inermem & sine ulla gratia sufficiente*, si vera sit (veluti constanter est) perperam adjuncta fuit alteri parti: pag. 232. & 233.

RESPONSIO patet.

EXCESSUS.

Propoſitiones 31. modo multis inconvenientibus obnoxio ſunt proſcriptæ pag. 248. tanquam temerariæ, ſcandaloſæ &c. cum addito *reſpectivè:* pag. 249. & ſic quoque factum eſt in Bulla Pii V. data contra Baium: ſed etiam hæc Bulla plurimas inter Theologos turbas excitavit: pag. 250. Bulla jam dicta numquam fuit juridicè publicata: pag. 252. Gregorius XIII. nihil aliud concedit quàm ut conſcribatur ſeu ſumatur unum tranſumptum ex Bulla Pii V. .. conceſſio verò ſumendi unum tranſumptum non eſt juridica publicatio: ib. Ipſa Bullæ diſpoſitio ſeu contextus tam parum accuratè ordinatus eſt &c. ib.

Urbanus VIII. de Bulla ſua *In eminenti* Sinnichio declaravit ſe dumtaxat intendiſſe Bullam Pii V. & Gregorii XIII. innovare: ſeque diſertè caviſſe ne ullus in iſta Bulla *nominaretur:* pag. 287. (loco *nominaretur* oportuiſſet dicere *in particulari ſugillaretur cum expreſſione nominis*, veluti ſonat atteſtaio Sinnichii relata pag. 290.

RESPONSIO.

Ista & alia ejusmodi in historia Baianismi confutata sunt.

EXCESSUS.

Princeps de Conti testatur Gallos Romanæ inquisitionis authoritatem non agnoscere: idque propter suas libertates, quæ nihil aliud sunt quàm Sacrorum Canonum antiquorum observatio: pag. 352.

RESPONSIO.

Quàm parum fundatæ sint illæ prætensæ libertates, & quàm malè dicantur, nihil aliud esse quàm Sacrorum Canonum antiquorum observatio, luculenter ostenditur in *Tractatu de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.* Et pariter ibidem ostenditur quod liber *De Concordia Sacerdotii & Imperii* ab eruditis quamplurimis in Gallia & alibi tantopere laudatus, plurima contineat Ecclesiæ non modò Romanæ, sed & Gallicanæ juribus infesta.

EXCESSUS.

Certissimum est quod in Gallia non ag-

agnoſcatur Authoritas Romanorum Tribunalium Inquiſitionis & Judicis, eò quod ſint Congregationes à Sixto V. noviter inventæ ad authoritatem Summi Pontificis augendam, & Collegii Cardinalium diminuendam: pag. 349. Inquiſitio Hiſpanica non exiſtimat ſe debere ſemper obſequi Romanæ Inquiſitioni: pag. 28. & 52.

RESPONSIO.

Dubitari nequit quin Summus Pontifex ejuſmodi Tribunalia erigere potuerit, iiſque ſuam authoritatem impertiri, prout fecit (non ob finem hìc temerè aſſertum, ſed ob publicam utilitatem) cum hac tamen exceptione, ut inquiſitio Romana circa inquiſitionem Hiſpanicam nihil innovet Papâ inconſulto. Deinde hìc agitur de Decretis quæ vel immediatè à Summo Pontifice, vel ab ejuſmodi Tribunali, Pontifice expreſsè & ſpecialiter approbante, emanârunt.

OBJECTIO.

Romanorum Cenſorum judicia uſui eſſe poſſunt ſicut illa quæ in Jure Romano vocantur reſponſa prudentum: pag. 329.

RES-

RESPONSIO.

Bene eſt: ſiquidem reſponſa prudentum in utroque jure ſic intelliguntur ut habeant vim legis. Vide initium inſtitutorum; nec non Decreti.

EXCESSUS.

Decem vel undecim primis Eccleſiæ ſeculis non reperiuntur conditæ leges Eccleſiaſticæ, quibus certorum librorum lectio cuilibet generaliter hominum generi interdiceretur: pag. 321. Ante duo ſeculo ultimà ..... conſcientiæ uniuſcujuſque relinquebatur non legere libros qui ipſi nocere poſſent: hoc enim lege naturali vetitum eſſe ſciens Eccleſia, non exiſtimabat expedire quòd illud inhiberet per leges poſitivas, quæ dum generales ſunt, extendi poſſunt ad homines plurimos quibus non congruerent, & quos ſolummodò conturbarent: pag. 73.

RESPONSIO.

Contrarium liquet ex ſolo Canone 9. Concilii Generalis Nyceni II. celebrati anno 787. qui ſic ſonat. "Omnia pucrilia ludibria, inſanaſque

„ debacchationes atque conſcripta ;
„ quæ falsò contra venerabiles imagi-
„ nes facta ſunt, dari oportet in Epiſ-
„ copio Conſtantinopolitano, ut re-
„ condantur cum cæterorum hæreti-
„ corum libris. Si verò quis inven-
„ tus fuerit hæc occultare, ſi qui-
„ dem Epiſcopus aut Presbyter vel
„ Diaconus fuerit, deponatur, ſi ve-
„ rò Monachus aut Laicus, anathe-
„ matizetur."

Præterea per illud *Eccleſia non exiſtimabat expedire &c.* tacitè culpatur non modò Concilium jam dictum, verùm etiam Concilium Generale Conſtantienſe, quod ſeſſ. 8. libros Wicleff. omnibus legere aut tenere ſub excommunicationis pœna prohibuit : & Concilium Tridentinum, quod ſeſſ. ultimâ tit. *de Indice librorum* præcepit ut quidquid circa illum indicem à Patribus à ſe delectis præſtitum erat, SS. Romano Pontifici exhiberetur, ut ejus judicio atque authoritate terminaretur & evulgaretur. Denique pariter culpatur Synodus Provincialis Mechlienſis II. tit. 1. c. 7. &c.

EXCESSUS.

Romanis omnibus librorum proſcriptionibus adjungere prohibitionem illos legendi, ſub pœna peccati mortalis .... Nunquid illud eſt quod S. Paulus vocat *injicere laqueos* conſcientiis infirmis? Pag. 330. & 331. Alterum malum quod generales illæ tot librorum prohibitiones efficiunt, eſt quod conſcientias timoratas nimium torqueant, Religioniſque Chriſtianę jugum aggravent, adversùs ejuſdem Religionis ſpiritum ... Videri poteſt quid S. Auguſtinus cap. 19. ſuæ 2. ad Januarium epiſtolæ ſuper hac re doceat. ib

RESPONSIO.

Bellarminus de Rom. Pont. l. 4. c. 18. oſtendit Auguſtinum loco citato tantùm agere de quibuſdam particularibus vulgi & hominum rudium conſuetudinibus quæ paulatim obtinent vim legis, & quæ quando nimis excreſcunt, deberent Epiſcoporum authoritate tolli & abrogari. Videri quoque poteſt S. Thomas 1. 2. q. 107. a. 4. ubi meminit ejuſdem loci. Vide

etiam, si lubet, Canonem 30. Concilii Provincialis Triburiensis de anno 895. Item Canonem 20. Provincialis Concilii Turonensis de anno 567.

EXCESSUS,

Jure merito sustinet Gerson non esse obediendum Pontifici aliquid præcipienti *in præjudicium justæ libertatis* .... Non oportuit igitur obedire Congregationi Indicis, neque Pio V, prohibenti imprimi, distrahi, & privatim recitari Officium B. M. Virginis translatum in linguam vulgarem. Idem dici potest de Advocatis & Judicibus... qui parere non debuerunt prohibitioni librorum Caroli Molinæi non concernentium Religionem; cum talis prohibitio sit in maximum præjudicium justæ libertatis: pag. 310. & 311.

Nunquid iterum foret in præjudicium justæ libertatis, quod contenderetur illos qui Astrologiam judiciariam planè contemnunt, non posse sine peccato quosdam istius falsæ scientiæ libros legere ad ejusdem absurditates plenius intelligendas? pag. 330.

Proscribitur aliquando liber quia

im-

impreſſus fuit abſque certis formulis, aut contra Decretum alicujus Pontificis qui vetuit quidquam in certa materia imprimi ſine ſcripta inquiſitionis Romanæ licentia. Cum autem liqueat quod eo non obſtante liber ille bonus eſſe poſſit, ſi reipsà & omnium judicio ſit talis, omne illud Decretum quod mihi iſtius libri lecturam inhibet, reputandum eſt tamquam unum ex illis quæ Pius Gerſon invalida eſſe ſuſtinet, eò quod ſint in præjudicium juſtæ libertatis: pag. 329.

RESPONSIO.

His aliiſque pluribus in præfata *nona difficultatum parte* contentis exceſſibus, meritò opponuntur ſequentia, quæ in eadem *nona parte* pag. 111. & 112. expreſsè traduntur. "Dum „aliquod Tribunal non infallibile fert „ſententiam, præſumitur eam eſſe ju„ſtam. . . . . adeò ut qui de illa con„quereretur, rationes ſpeciales allega„re teneretur, quibus illius injuſti„tiam *oſtenderet*. . . . . Unde dum qui„dam Religioſi ſe Abbatis ſui præce„ptis non adſtringi contenderent præ„texentes quod poſſet ille quædam „præ

„præcipere Divinæ Legi contraria;
„S. Bernardus in libro de præcept. &
„dispens. ita respondit: *Quid ad te qui*
„conscius non es? Que vous sert d'alle-
„guer cela, quand vous n'estes point as-
suré que ce qu'il vous commande y soit
contraire?

Meritò, inquam, hæc opponuntur: nam etiamsi detur quod Tribunal Inquisitionis aut Indicis, aut quod ipse Summus Pontifex in judicanda lege conducibili vel non conducibili falli possit, non poterit equidem subditus obedientiam detractare „ *Quand il n'est point assuré que ce que le Superieur luy commande soit contraire à la loix de Dieu:* porrò tantùm abest quod illi qui quosdam libros prohibitos privatâ authoritate legunt, certò sciant quod legi Divinæ repugnet à libris illis legendis abstinere, ut passim fateri debeant se non certò scire an Superior non habuerit justam aliquam rationem libros illos inhibendi.

Obedite Præpositis vestris & subjacete eis. S. Paulus,